

Alte Drucke

Commentarius in Sacrosanctum Iesu Christi Euangelium secundum Matthæum ...

SECVNDA PARS || COMMENTA-||RIORVM R. P. F. IOAN-||NIS FERI, IN
SACROSAN-||ctum Iesu Christi Euange-||lium secundum Mat-||thæum, nunc
pri-||mò in lucem || edita. ||

Wild, Johann

Antverpiae, 1560

Caput vigesimum septimum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150442

Caput vigesimum septimum.

P Rincipes autem sacerdotum & omne concilium que-
rebant falsum testimonium aduersus Iesum, vt eum
morti iraderent. Sufficiebat quidem Caiphæ con-
siliū ad excitandum populum, sed non satis
erat ad reuincendum iudicis officium, maxime extra-
nei. Habes hic typum iniusti iudicij. Iam Christus er-
rat captus, vincētus, afflicētus, percussus: iam eum Annas
vincētum miserat ad Caiphā, vt reum iudicio, & ta-
men adhuc ignoratur, quare sit accusandus. Sic solent
impij damnare quæ non nouerunt. Sic Saul intere-
dit Achimelech non auditum. Et Ioachim Prophetam
Vriam. Sic & in Hieremia dicunt impij: Venite, percu-
tiamus eum lingua, & nō attendamus ad vniuersos ser-
mones eius. Sic præcipitat Sathan impiorum corda spi-
ritu vertiginis. De hoc concilio malignātium prædixit
Jacob: Simeon & Leui vasa iniquitatis, &cæ. In conci-
lium eorum non veniat anima mea, &cæ. Et Psalmista:
Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rû-
giens, &c. Et in alio Psalmo Qui inquirebant mala mi-
hi locuti sunt vanitates, &c. Item: Os eorum amaritudi-
ne plenum est. Et iterum: Acuerunt linguas suas sicut
serpentes, &cæ. Non erat furor eorum humanum quid,
sed planè infernale & diabolicum, quia non furebant vt
fatiarentur, sed vt semper seipfos accenderent, nihil o-
mittunt quod iram auget. *Et non inueniebant, cum mul-
ti falsi testes accessissent.* Non enim erant satis idonea tes-
timonia eorum. Hic vides eos apertè facere contra le-
gem, qui Christum occidere volebant, nec tamen po-
terant habere causam morte dignam. Summa igitur
Christi innocentia hic declaratur, vt quem nec falsi tes-
tes vel falso accusare potuerint. Et hic monentur Epif-
copi vt sint irreprehensibiles. *Novissime autem venerunt
duo falsi testes, & testimonium falsum ferebant aduersum
illum, dicentes: Nos audiuimus illum dicentem: Ego possum
diruere templum Dei hoc manufactum & tribus diebus a-
liud sine manibus factum extruere. Et non erat conueniens
testimonium eorum.* Rectè falsi testes dicuntur, qui non

1.Re. 22.
Hier. 26.

Gen. 49

Psal. 21.

Psal. 37.

Psal. 13.

Psal. 139.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

Mat. 27.

eodem sensu dicta intelligunt, quo dicuntur: Christus loquebatur de templo corporis sui, id quod & ipsi intellexerunt. Sic enim dicebant ad Pilatum post crucifixionem: Recordati sumus, quod seductor ille dixit. Post tres dies resurgam. Hic autem nedum sensum, sed & verba mutant Christus dixit, Destruite, non autem dixit, Possum destruere. *Et surgens summus sacerdos in medium.* Qui prius omnibus in consilio preualuit, nunc iterum surgit, velut magnum aliquid facturus, ac omnium oculos in se conuertit. Vide igitur superbiam illius falsi Israëlitæ, veri autem Moabitæ: falsi pontificis, veri autem latronis. Superbus enim est valde, verum superbia eius plusquam fortitudo eius. *Interrogabat Iesum, dicens: Nihil respondes? Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Iesus autem tacebat, nec quicquam respondebat.* Tacet Christus, quia speciem quidem habebat iudicij, sed re ipsa latronum erat impetus, vbi ergo nulla iustitia, ibi nullus defensionis locus. Deinde respondere quidem debemus poscentibus rationem fidei nostræ: vbi verò manifesta impietas quarit extinguere veritatem, tunc tace & committe Deo iudicia. Ex hac autem Christi taciturnitate magis accensa fuit eorum ira: videbatur enim eos tacendo contemnere, ideo iratus Caiphas, omne virus colligens & omnium iræ vim, vno iaculo incipit extorquere, vt ipse putat, blasphemiam, vnde sequitur: *Rursus principes sacerdotum interrogauit Iesum, dicens: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis an tu sis Christus filius Dei benedicti.* Pessimus Caiphas in pessimo actu non præsumpsit nomen Dei sine addito laudis & benedictionis nominare, contra blasphematores illos diuini nominis & sanguinis Christi & cætera. *Dixit illi Iesus: Tu dixisti.* Adiuratus respondet, ne nomen Dei contemnere videretur, & tacendo veritatem negasse diceretur: veritatem non tacet, ad mendacia nihil respondet. *Veruntamen dico vobis: A modo videbitis filium hominis sedentem a dexteris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* quasi dicat: Vos quidem me hic accusatis, vt hominem despectum me interficere manibus pedibusque

1. Pet. 3.

busque laboratis : sed posthac non tam despectum, non tam infirmum me vobis offeram : en videbitis filium hominis, quem tam iniquiter accusatis & morti destinatis, filium quoque Dei esse sedentem à dextris virtutis patris, hoc est, venientem in nubibus cœli, quod simplicissimè potest intelligi, Christum ita in nube ad iudicium venturum, vt in nube ascendit. Porrò est hic contentio aduentus Christi prioris & posterioris. Aduentus Christi prior fuit ignominiosus, despectus, sed credentibus admodum salutaris. Aduentus posterior gloriosus erit, pijs iucundus, sed impijs admodum horribilis, de quo lege Sopho. 1. Admonet autem eos futuri iudicij, quandoquidem beneficij & innocentia sua eos reducere non poterat. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.* pro morte gentis Iudaicæ, qui scissione vestimentorum dolorem cordis & subitam tristitiam significare solebant. Sicut Iacob quando vidit vestimenta filij sui aspersa sanguine. Sicut & Paulus & Barnabas, cum vt dij colerentur, sciderunt vestes. Sic & impius ille Pontifex, iuxta prophetiam Zachariæ, saccinum pallium simulatæ iustitiæ superinduit, vt mentiretur, & mendacium corroboraret, vt videns populus paueret, *Dicens : Blasphemauit. Quid insuper egemus vestibus? Ecce nunc audistis blasphemiam eius. Quid vobis videtur? Illi verò omnes condemnauerunt eum, dicentes: Reus est mortis.* En qui in omnibus patris gloriam quæsiuit blasphemasse dicitur : & qui sine peccato, reus mortis proclamatur. Et quidem quo ad personam suam verè innocenter hæc pertulit : quia autem peccata nostra in se transtulit, meritò audiuit quod blasphemauerit, & reus mortis sit. Hæc enim nostra erant. Verè igitur dicit in Psalmo : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Tunc illudebant ei.* Nihil magis carnales homines offendit ac scandalizat quam infirmitas Christi. Ideò Christus ipse dixit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, & tamen nihil diligentius descriptum est, imo Euangelistæ gloriam Christi ducunt, dum istam ignominiam scribunt. Gloriamur enim etiam*

Phil. 2.

Acto. 1.
Aduentus
Christi
duplex.

Gen. 37.

Zach. 13.

Psal. 68.

Matt. 11.

etiam

- etiam in afflictionibus. O igitur anima Christi sanguine redempta, recipe te in cubiculum cordis tui, & meditare quanta Dominus tuus in ista noctis vmbra sustinuit. Aduerte Euangelistarum verba, quæ & si pauca sint, ingentem tamen Christo contumeliam illatam indicant. *Illudebant ei.* In Psalmo dicitur: Circundederunt me vituli multi, & cæt. postea: Circundederunt me canes multi, & cæt. duplex igitur Christi illusio. Prima à Iudæis, qui per vitulos (animalia immunda:) Secunda à gentibus, qui per canes significantur. De prima hic dicitur. Verè impietatis & tenebrarum opera sunt hæc. Impius facere audet quicquid cogitare potest: quantum autem peccatum est eum illudere, quem pater misit propter salutem nostram? At enim Christum etiam nunc illudunt, qui scurriliter de verbis ipsius & sacramentis loquuntur. *Conspuebant vel expuebant in faciem eius.* Vides quàm horrenda cæcitate percussi sunt, quibus missa erat lux, qui in eam ipsam lucem tam grauitè impegunt. Multò grauius est conspuere, quàm illudere. Eius rei, quam conspuimus, odorem nobis fœtere significamus. En fœtet hominibus panis angelorum, dehonestant faciem, in quam angeli desiderant prospicere. Conspuunt eum, quem tam anxie desiderauerant patres eorum, dicentes. Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Hic igitur verè impletum est illud Esaiæ: Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & cæt. *Et colaphis eum ceciderunt.* Iudæorum mos est, quòd Dei offensorem non possunt satis immaniter trahere, & ita maximum obsequium putant prestare Deo, si iram & sputa, & omnia despectionis mala in eum congregant. Tunc enim se charissimos filios Dei putant, quia feruentissimè zelant pro eo, & fortissimè vindicant eius iniuriam. Inde est quòd non erubuerunt hæc facere, quæ etiam infimæ fortis homo facere erubesceret. *Alij vero cum obtexissent faciem eius, palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Vaticinare nobis Christe, quis est qui te percussit? Velabant faciem eius, tum ne ad misericordiã mouerentur (fuit enim verè speciosus præ filijs hominum:) tum quia præmalitia non satis excogitare poterant quid facerent. Iusto igitur Dei iudicio velamen positum*

Rom. 5.

Christi
illusio du
plex.

Esaï. 53.

Psa. 44.

positum

positum est super corda ipsorum. Iuxta illud: Obscu- Psal. 68.
rentur oculi eorum ne videant. Et alia multa conuiciant-

tes dicebant in eum. Multa, inquit, quæ scilicet nec Euan-
gelista nec propheta scripserunt: non autem prædictis
similia, sed alia, inquit, conuiciabantur in eum. En
quanta, quàm grauiam & inaudita Dominus pertulerit
pro nobis. Tales nos oportebat in æternum esse, nisi
Christus hæc in se transulisset. Verè igitur dicere po-
tuit: Corpus meum dedi percutientibus & cætera. Fac-
ciem meam non auerti ab increpantibus & conspuen-
tibus in me, & cætera. I nunc ingrate homo, & gaudia
huius mundi quære, cum Dominus tam indigna pro
te patitur. Hæc fuit ipsorum gratitudo in ea nocte, qua
summum beneficium acceperant: hoc fuit phasè Do-
mini. Sanguine veteris agni lineabant postes, hunc au-
tem liniunt sputis & cætera. Hic igitur vide Dei pa-
tientiam. An mirum fuisset si totam terram perdidisset; Exod. 12
propter hoc vnum facinus? Verè patiens & longani- Psal. 7.
mis Deus. Imò hic vide quanta fuerunt peccata no-
stra, propter quæ vnigeniti filius tanta passus est. Verè
magna res est peccatum, magnam iram meretur. Aga-
mus gratias ei, qui sua contumelia & despectione nos
ab æterna ignominia liberauit. Mane autem facto conue-
nerunt omnes principes sacerdotum, & scribæ senioresque po-
puli, ac totum concilium aduersus Iesum, vt eum morti tra-
derent. Multi & prudentes denique, & inimici, ne ve-
risimilem quidem culpam excogitare possunt contra
innocentiam Christi & Euangelij, quam condemnare
quærunt. Dixerunt ergo ei: Num tu es ille Christus? Dic no-
bis. Confessus fuerat se filium Dei, sed nondum suffi-
cientem causam habebant accusandi eum coram iudice
pagano, & idololatra: denuò igitur interrogant, an
Christus sit, quem sciebant ex lege regem futurum,
falso tamen intelligentes de regno temporali. Hic igi-
tur eum vrgent, si forte quid diceret, vnde eum accu-
sare possent: Et ait illis: Si vobis dixerero, non credetis: quòd
si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimit-
tetis. Veruntamen ex hoc tempore erit filius hominis sedens à
dextris virtutis Dei. quasi dicat: Nihil aliud respon-
deo, quàm venturum iudicium, quo omnia facta &
verba

verba publicabuntur, & videbitis regnantem post mortem, quem iam videtis filium hominis & mortalem. *Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Vtrumque virgenter, iniuriam legis & iniuriam Imperatoris, ut fortius eum accusarent. Vtrumque in hunc usque diem Christo & membris suis falso imponitur, cum tamen nihil minus in ipso inueniatur. Qui ait: vos dicitis me esse. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audiuius ex ore eius. Obserua hic infatigabilem in filijs perditionis diligentiam ad perpetrandum summum malum, cum interim Apostoli tam desides sunt ad bonum. Sequitur: Tunc surgens omnis multitudo vincitum cum adduxerunt Pontio Pilato praesidi. Hucusque quomodo à vitulis illis, qui munda videbantur esse animalia, illusus sit Christus, audiuius: nunc quid à canibus perpeffus sit, hoc est, gentibus, audiamus. Omnia enim genera hominum in Christo offensa sunt, quemadmodum ipse praedixerat: Filius hominis tradetur gentibus, & cat. Surgit igitur vniuersa multitudo, ut causa iustior & probabilior videretur. Multitudo se armant, quia in causa deficiebant: vincitum offerunt eum praenai, ut hoc signo cognosceretur ab eis condemnatus. Omnia in speciem & magnificè peragunt, ut inuidiam suam & malitiam contegant. Ecce igitur iam tertio vincitum ducitur, qui omnium vincula soluere venerat. Saepius vincitur & ligatur, quia plura erant vincula nostra. Hic igitur consideremus nos ipsos. Sicut enim Christus hic concorditer cum gaudio aduersariorum, sine omni misericordia, sine spe reditus, nullo assistente aut eum agnoscente ducitur ad iudicium: sic nos ducendi eramus ad horrendum illud Dei iudicium, nisi pro nobis haec tolerasset. Igitur in Christum per fidem te conijce, si in iudicio consistere cupis, & caetera. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset. Dupliciter potest intelligi. Videbat è certis signis & coniecturis, quod Christus iam morti adiudicatus esset: videbat eum duci ad iudicium, unde pauci redibant liberati: sciebat denique inuidiam Iudeorum accusantium. Vel aliter: videbat se ipsum damnatum. Nunc incipit sentire peccatum. Non enim per.*

Matt. 20

permittit diabolus eos, quos tentat, videre peccatum, antequam perficiant, tunc enim non minori conatu ad desperationem eos adigit, quàm prius ad peccandum eos impulerat. *Pœnitentia ductus*. Non fuit vera pœnitentia. non enim peccatum deplorat, sed damnum. Hæc fuit & pœnitentia Saulis, Esau & Achab. Impij enim Iudæ pœnitentia. dolent se in damna & angustiam animi incidisse, à qui- bus si essent liberi, iam pro nihilo ducerent, quod peccauerunt. Deinde non fuit vera pœnitentia, quia peccatum quidem agnoscit, sed non sperat aut credit misericordiam: reuelatur ei peccatum, sed non Euangelium. Hæc est pœnitentia iusto Dei iudicio damnatorum, dū peccatum quidem agnoscunt, veniam tamen ex corde rogare nequeunt. Vera pœnitentia est, facere iudicium & credere. Iudicium facere, est se peccatorem agnoscere, peccata sua damnare. Credere, est cōfidere Deum per Christum peccata non imputaturum. Sic Psalmista: Psal. 13. Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam, & tu remisisti &cæt. Multa flagella peccatorum, sperantem autem &cæt. Sic & Sapiens: Etenim si peccauimus, tui sumus: scimus enim quòd apud te sumus computati. Sapi. 15. Hæc fides in misericordiam Dei per Christum necessaria est ad remissionem peccati. Dum enim homo cognoscit Christum verum esse saluatorem, pignus iustitiæ, misericordiæ fontem, ommissa peccatorum immanitate, ad Christum confugit. Hinc Esaias: In scientia sua iustificabit multos. Et Sapiens: Nosce te, consummata iustitia est. Proinde Dei peccatorum cognitione terretur, non diu peccatorum magnitudinem, sed Dei in Christo misericordiam spectabit. alioqui cum Cain desperatus clamabit: Maior est iniquitas mea &cæt. Sic David pœnitentiæ exordium à recordatione diuinæ misericordiæ facit, quæ omnia peccata, etiã si fuerit vt cocinum, quasi nix dealbat &cæt. Hanc autem pœnitentiam non habes Iudas, perijt. Sicut igitur Petri conuersio misericordiæ Dei symbolum est: ita damnatio Iudæ iræ diuinæ & iudicij symbolum est. *Retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus*. En Iuda, etiã iniquum precium restituit: nihil tamen ei profuit, quia non credidit, vt videas quam nihil sunt omnia opera co-
ram

Iudæ pœnitentia.

Pœnitentia vera.

Psal. 13.

Sapi. 15.

Esaï. 53.

Sap. 15.

Gene. 4.

Esaï. 1.

- ram Deo sine fide & charitate. Cæterum quod argenti, quibus impius vendiderat Christum, in templum relati sunt, nec impius ille retinere eos potuit, figura fuit, quia à Iudeis auferenda erant omnia, quæ ex benignitate Dei acceperant. Tradiderat autem eis regiones gentium, vt custodirent iustificationes eius: quod quia non fecerunt, meritò eis ablata sunt, sicut prædictum fuit. Converterat & sumam frumentum meum, & cætera. *Dicens, peccavi tradens sanguinem iustum.* En aliud testimonium innocentie Christi: Testatur proditor se & illos peccare: idem illis testatur propria conscientia, clamant hoc & verba & miracula Christi: sed induratisimi homines pergunt cæpto furore. Verè igitur dixit Esaias: Ceruix tua ferrum, & frons tua area. Ferrum, quia non mouetur: æs, quia non erubescit. *At illi dixerunt: Quid ad nos, tu videris.* Vide quid impietas agat contra conscientiam, modò sua consequatur: non enim negant sanguinem innoxium esse traditum, propterea hinc videre licet cui tutò se oues afflictæ committant. hi consolari debuerant conscientias in desperationem actas, sed dicunt, Quid ad nos? In quo minime vides affectum illum quem Moyses pro populo, & Paulus pro fratribus habuerunt. Sunt igitur non veri pastores, sed lupi, sua quærentes, nõ quæ gregis sunt Dominici. Deinde vides hic quòd qui in gratiam dominorù mala faciunt, si res in diuersam processerit, etiam ab illis ipsis, in quorum gratiam fecerunt, ridentur. *At ille proiecit argenteis in templo.* Colligitur ex hoc loco quòd sacerdotum & seniorum aliqui in templo propter festum remanserant, dum interim alij principes sacerdotum & seniores coram Pilato Christum accusarent. Oportuit enim curari festi sacrificia: & si nulla alia, tamen matutinum sacrificium, quod erat quotidianum, vt hic nihil omitterent, sed vtroque seruirent Deo, & sacrificando in templo, & condemnando hæreticum Christum, qui saluator est mundi. Vides hic quòd merito in Esaiæ eorum sacrificia reprobentur: Manus enim eorum sanguine plenæ sunt. *Recebit, & abiens laqueo se suspendit.* En finis auaritiæ. Quid utilitatis aut voluptatis miser ille ex ea pecunia reculit? Certè nihil nisi tristitiã cordis. Semper

Psa. 104
Olea. 2.

Esa. 48.

Rom. 9.

Esa. 1.

per discretiant diuitia. Et si anxie eas cōquisieris, omniaque repleueris repositoria, ac per fas & nefas vndique corrodis, quid demum fit? Pecuniam amittis, corpus inedia conficis, & animam diabolo tradis. Deinde vide quem finem consequantur qui Christum persequuntur: nempe quòd inter cœlum & terram pendet: terrena enim amittunt, & cœlestia nō assequuntur. Huius figura præcessit in Achitophel, qui suis consiliis agebat, vt David periret. Sed eundem finem consecutus est, quem hic Iudas: suspendit enim seipsum: nec ob aliam causam, quàm quòd præuidebat ipsum David in regnum restituendum, ex eo quòd Chusai amicus ipsius David venerat ad Absalon non corde, sed corpore tantum. Sic Iudas videbat nomen Christi non periturum, ex eo quòd Apostoli superstites erant. Sicut igitur suspendium Achitofel prodigium fuit quòd & ipse Absalon periret male: sic suspendium Iudæ, Iudæis portendit finem & perditionem. Pendet enim inter cœlum & terram, quia in cœlo spem nullam habent nec in terra locum proprium. Et diffusa sunt omnia viscera eorum; dispersi enim sunt per omnem terram. *Principes autē sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Hęc est iustitia pharisæorum.* Occisionem Christi sibi putabant licitam, imò tanquam sacrificium Deo gratissimum, & tamen precium redemptionis reputabat nefarium & indignū applicari ad vsus templi, verè culicem liquantes, camelam glutientes. Si enim ideo pecuniam prophanam ducunt, quia precium sanguinis est, cur ipsum sanguinem fundunt? *Consilio autem inito, emerunt ex eis agrum figuli, in sepulchram peregrinorum.* Similes his sunt, qui pauperes fraudant & spoliant atque inde nummorum aliquid in templum referunt, quo existimant peccatum donari posse, cum de auaritia & Iudaico animo ne tantillum remiserint. Prouidentia autem Dei factum est, vt precium Saluatoris non peccatoribus sumptū præbeat, sed peregrinis requiem subministret, vt iam christus viuos effusione sanguinis sui redimat, & mortuos passionis precio suscipiat. Nec mysterio vacat, quòd ager figuli amittitur. Figulus Deus, qui vascula corporis nostri fecit

Gggg è limo:

Acto. 1.

Mat. 29.

è limo: ager, hæreditas Domini. Istius itaq; figuli ager sanguine Christi emptus est, quia peregrinus, qui sine domo, patria, exules toto orbe iactabantur, requies & vita æterna Christi sanguine prouidebatur. *Et vocatus est ager ille lingua eorum Acheldema; hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.* Hoc igitur consilio testificati sunt contra seipsos, vt facti memoria maneret.

A.G. 1.

Hinc in Actis dicitur: Notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, &c. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati, quem æstimatum emerunt à filiis Israel & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Aut nomen pro nomine positum est

Zach. 11.

per librarios Græcos, aut Zacharias fuit binominis, in quo hæc sic dicuntur: Et dixi (ego Dominus) ad eos, id est, contemptores meos Iudæos: Si bonum est in oculis vestris afferre precium meum: & si non quiescite. Et apprehenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me (Prophetam) Projice illos ad figulum, decorum scilicet precium, quo appreciatus sum ab eis. Et tuli (ego Propheta) triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini, id est, in templum ad figulum. Quia Dominus ista iubet. Euangelista hic dixit: Sicut constituit mihi Dominus, quia Propheta dicit se fecisse, significat se prædixisse, quod omnia ita essent euentura. Æstimatum autem dicit Deum, in Christo scilicet pecunia vendito: Quod autem addidit Euangelista. Quem emerunt à filiis Israel, videtur respexisse in historiam venditi Ioseph Ismaelitis: hoc est, peruersi filij Abraham emerunt à filiis Israel, à Iuda scilicet & consiliarijs eius Ismaelita ab Israelitis, impij ab impijs. *Mane igitur adducto Iesu ad præsidem, ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Vide quæso hypocrisin. humana constitutio est, ne Iudæus domum incircuncisi introeat, vt ab immundo & incircunciso non contamine-
tur. Lex diuina erat, Non inuideas, non occidas, non falsum testimonium dicas: hanc autem perfricta fronte negligunt Iudæi, seruata hominis constitutuncula: Scilicet incircuncisi domus cõtaminat, inuidia autem,

EXO. 20.

homi-

homicidium innocentis & falsum testimoniū non con-

taminat? Vides cæcos illos quā accuratē mundauerint quod de foris est calicis, cū intus planē cruenti sint, &c. Vera est sanctificatio, cū pater ipse corda nostrā vsurpat, vt renouet & illuminet cognitione Christi. Hanc autem sanctificationem non agnoscit caro, & sanctificationem quandam carnalem concipit, qua à quibusdam cibis, congressu quorundam hominum abstinet, &c. quemadmodum hic Iudæi, dum parare se volunt ad Pascha, externam sanctificationem tantū arripiunt, neglecta interna & vera. Præterea hic vides cuiusmodi populus Christum persequatur: nempe is, qui iustitiam carnis tuerur. Qui enim in externis confidunt, non possunt non persequi Christum.

Exiit ergo ad eos foras Pilatus, & dixit: *Quam accusationem afferis aduersus hominem hunc?* Pilatus Iudææ præfector Iudæis.

libro decimo octauo, capite quarto. Iam etiam si ethnicus incircuncisus fuerit, collarus tamen Iudæis, multo & ciuilior & iustior est. Ciuilitatis est, quòd se accòmodauit populi moribus, & pertinaciæ cesserit. Videns enim Iudæos ethnici domum abominari, non coëgit ipsos tyrannide quadam, vt contra receptam consuetudinem prætoriorū intrarent, sed iure suo neglecto exiit ad eos foras. Boni enim magistratus interest sese moribus subditorum accommodare, non pertinaciter duritiæ populi resistere. Sic & aliàs in Iosepho de Pilato legis, dum statua Cæsaris in templo Hierosolymitano erectæ fuissent: nam videns populi pertinaciam, quacitius mortem oppetere, quàm statuas in templo ferre volebant, celsit eis, ac statuas è templo deposuit, quanquam armato exercitu ad hanc rem structo potuisset omnes, ni obedirent, simul trucidare. Iustitiæ est quòd non mox oblatum & inauditum damnat, quemadmodum pontifices, sed quærit accusationem. Hæc autem iustitia, ciuilitas, & prudentia rationis humanæ sunt, qua præ cæteris claruerunt ethnici. *Respondērunt & dixerunt: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum.* quasi dicant: Euidentiã patrati criminis nō indiget clamore accusationis, solū exequere iudiciū,

Gggg z non

non opus est alia examinatione. Nos venerabiles sumus sacerdotes & Episcopi, errare non possumus, an ne tibi laico & gentili ratio factorum nostrorum reddenda est? O mores. Sicine tu honoras summi Dei sacerdotes? Nihil inter nos & quemlibet popularem distinguis? Volumus ut hunc condemnes. Voluntas nostra sit tibi pro ratione. *Nisi enim hic malefactor esset, & car.* O hypocrisin, o mendacia. Ergo ne gens iusta & populus innocens nullum nisi malefactorē tradere, imo occidere consueverit? Quem prophetarū non persecuti sunt patres vestri? &c. Considera etiam hic malitiam eorum qui volebant eum non examinatum, nec conuictū occidi. Idē hoc faciunt omnes inimici veritatis, &c. *Dixit eis Pilatus* (eodem supercilio & iustissima mordacitate) *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum:* hoc est, si tam gnari & conscij estis flagitiorum de hoc homine, cur non occiditis secundum legem vestram? Irridet enim Pilatus hac responsione Iudæos, quibus gladij potestas per Romanos ablata erat. *Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam.* Non dixerunt: Nobis non licet iudicare quenquam, iam enim tota nocte vigilantes, non quidem secundum legem, sed contra legem suam iudicauerant, illuserant, conspuerant, & car. veruntamen iudicatum quempiam non licebat occidere, nisi Romano Præside iudicationem confirmante. Nec verò mirandum, quòd in Babylonica captiuitate Susannam illis inconsulto rege lapidare licuisset, quòd nunc in terra sua facere non poterant, Romanum enim imperium potentius & fortius fuit: quàm omnia priora regna, Ipsum quippe erat de quo *Daniel* in visione nocturna: *Ecce, inquit, bestia quarta terribilis & fortis nimis, dentes ferreos, & car. habebat, comedens & comminuens, & reliqua pedibus conculcans.* *Comminuit enim Romanum regnum omnia regna mundi, maxime Iudaicum minutatim discecit, quia in quatuor tetrarchas dispartiuit: & quod reliquum erat ita pedibus conculcavit, ut non remaneret lapis super lapidem.* Verè igitur dicunt: *Nobis non licet interficere quemquam.* *Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, si significans qua morte esset moriturus.* *Dixerat enim*

Deut. 13.

Dan. 7.

Luc. 3.

Luc. 19.

in
be
la
de
re
se
an
g
&
et
n
A
ue
m
m
iu
te
le
fo
pr
qu
ci
im
re
nit
Ph
pu
fac
sti
Ga
vt
fla
qu
dar
rò
iam
der
nal

enim : Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum, vt igitur sermo iste impleretur, oportebat eum à Iudæis tradi gentibus: quia videlicet non poterat euenire, nisi quod ille prædixerat. *Cæperunt autem eum accusare summi sacerdotes de multis dicentes : Hunc deprehendimus euertere gentem nostram, ac vetantem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse, quasi dicant : Ne nihil putes nos accusationis aduersus hunc hominem habere, audi, Est gentis seductor, est seditionis auctor, prohibet vectigalia & tributa. Regem Iudæorum se vocat, id quod est crimen læsæ maiestatis Imperatoriæ. an non habemus nunc accusationum & pessimorum criminum ilias? Audi impias impiorum accusationes, conuerti, pervertere iudicant, malum bonum dicunt, & bonum malum. Deinde manifestè mentiuntur, nusquam enim vetant Christus tributa & vectigalia, quinimo iussit dare Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & ipse soluit telonium. Præterea accusant eum vt transgressorem legis diuinæ, quia subuersor : legis humanæ, quia seditiosus contra Imperatorem : legis naturæ, quia prohibens tributa. Hæ autem sunt accusationes, quas conscientia nostra sufferre debebat coram iudicio diuino, & meritò : quas tamen Christus fallò & immeritò pro nobis tamen sustinuit. Introiit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocans Iesum, interrogauit eum, dicens : Tu es Rex Iudæorum? De hoc crimine Pilatus querit, quod ad Cæsaris maiestatem, & ad publicam tranquillitatem pertinebat. Hæc enim accusatio non erat circa veritatis speciem. Nam circa Christi tempora variæ erant seditiones, auctoribus Iuda Galilæo, Aegypcio propheta. Teuda, & Caphedone, vt Iosephus scribit, quibus verisimile videbatur Christum eiusdem farinae cum seditiosis esse, quòd noua quædam & hæctenus inaudita dicebat, & miro quòdam fauore vulgus sibi conciliauerat. Seditiones verò hinc oriebantur, quòd septuaginta hebdomadam ferme præterierant, & expectabatur summo desiderio Messias, vt restitueret populum suum in carceralem libertatem, & à Romana captiuitate vindica-*

Mat. 20.

Esai. 5.

Matt. 22.

Mat. 17.

Acto. 5.

Dan. 9.

Gggg ; ret,

Ioh. 6.

ret. Proinde multi sibi Messia^e honorem vendican-
 tes & populo libertatem pollicentes, auctores ha-
 bant defectionis à Romano imperio. Et plerique le-
 sum esse illum expectatum Messiam conijciebant: ni-
 si enim fugisset, in regem electus fuisset. Itaque Pi-
 latus quærit: Tunc affectas regnum Iudæorum? Hac
 ratione etiam accusatur Euangelium, quod scilicet sit
 eiusmodi doctrina, quæ publicam tranquillitatem per-
 turbet, & asserat legum ciuiliū contemptum, cum
 tamen Euangelium charitatem præcipiat, adeoque
 etiam legum ciuiliū contemptum vetet. *Respon-*
dit Iesus: A temetipso hoc dicit, an alij tibi dixerunt de
me? quasi dicat: Fingisne ex teipso regnum me affe-
ctare, an hoc nomine apud te traductus & delatus
sum? Nam si ex teipso fingis, non æquum agis iudi-
cem, cuius officium est non è proprio arbitrio, sed è
ratione causâ iudicare: quod si alij me hoc nomine
apud te detulerunt, falso detulerunt. Quanquam enim
regnum affectem, & populum in libertatem vendi-
cem, non tamen tale affecto regnum, nec talem li-
bertatem prædicauit, qualia caro fingit, sed ecclesia &
diuina, ad Maiestatem Romæ Imperatoris nihil per-
tinentia. Vides quod Christus non statim regem se
esse dicit, antequam regnum suum à regno homi-
num distingueret, alioqui occasionem scandali & ca-
lumnia præbuisset Pilato. Respondit Pilatus: Nunquid
ego Iudæus sum? Gens tuâ & pontifices tui tradiderunt
te mihi, quasi dicat: Ego à meipso non fingo, te esse
regem Messiam, quem sic vocant: neque enim Iu-
dæus sum. Quid ad me Iudæorum fabula de Mes-
sia? Sed sic apud me delatus es, te regni affectatorem
esse. Gens tuâ & Pontifices tui accusant te Messia^e
honorem vsurpare; ac propter hoc Iudæorum reg-
num affectare. Agnoscisne hanc accusationem? Quid
fecisti? Magnum aliquid sit oportet, nunquam enim
uisum est, & rarò auditum tot potentes ac seniores v-
nus hominis mortem flagitare. Respondit ei Iesus:
Regnum meum non est ex hoc mundo: si ex hoc mundo es-
set regnum meum, ministri mei utique decertarent, vt non
traderer Iudæis. Indigno illi non respondet quid fe-
cerit,

erit, cum bene omnia fecerit, & bona omnia fecerit. imò cum & omnia valde bona per ipsum facta sunt. Sed nec illud curauit quod prius interrogatus fuerat: scilicet num esset rex Iudæorum, quia iam sufficienter dixerant aduersarij sui: verum quod illi minus, vel peruersè dixerant, hoc modo suppleuit vel correxit. *Regnum meum*. quasi dicat: Agnosco accusationem, agnosco me regnum affectare, sed non tale, quale caro sumniat, nec quale calumniatores me affectasse criminantur. Regnum enim meum, quod affecto, non est de hoc mundo: hoc est, non est corporale, sed spirituale. Nam mundi huius regnum constant manu militari, gladio externo, subditis corporalibus, oppidis, arcibus, vicis, villis, prædijs, &c. Regnum autem Christi constat impotentia carnali, passionibus, afflictionibus, iustitia, æquitate, bonitate, gaudio spiritus & vita æterna. Pro oppidis in regno mundi huius habet Christi regnum corda credentium, qui non gladio, sed Euangelio, hoc est, remissione peccatorum, iustitia, fide, &c. reguntur. Per verbum enim Euangelij in mentibus fidelium regnat, per quod & viuificat animam & rapit ad se hominem, regit eum in pace, securitate mentis & tranquillitate conscientia. Vnde Esaias: *Lætabuntur coram te*, sicut qui lætantur in messe, &c. Regnum autem Christi graphicè descripsit Zacharias, cum dicit. *Dicite filia Sion, Ecce rex tuus*, &c. Vbi singula verba emphasisu suam habent, vt alias dictum est. *Si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudeis*, hoc est, tale affecto regnum, quod nec paratur, nec defenditur manu militari: sed vt paratur cruce & sanguinis effusione, ita etiam iisdem medijs defenditur. Christus hoc regnum sua cruce & morte parauit, Apostoli & martyres sua morte defenderunt & dilatarunt. Mundi regnum defenditur armis, Christi regnum defenditur sanguinis effusione. Christianorum enim sanguis semen est: quo plures occiduntur, eo plures efficiuntur: & tunc magis edificantur, cum cædi videntur. Non igitur ab huma-

Gen. 1.

Regnum
Christi
puribus
constet.

Esa. 9.

Zach. 9.

na vi, sed à Deo vindictam expectant Christiani. Non igitur est quòd principes huius mundi gloriantur se esse Ecclesie Dei defensores: Ecclesia enim non defenditur armis, propterea quòd regnum eius non sit de hoc mundo. Quòd si quis voluerit esse protector Ecclesie, arripiat gladium Petri aut Pauli, aut aliorum Apostolorum, non Augusti aut Neronis. Nam Imperatores defendunt quidem externo suo gladio oppida & vicos: Apostoli autem defendunt Ecclesiam gladio spiritali, verbo scilicet Dei & passione sua, quo de verbo testificantur. *Nunc autem regnum meum non est hinc.* Si regnum Christi non est hinc, quid igitur tu quæris diuitias & bona huius mundi? Si Christi regnum non est hinc, ergo Christianos oportet in mundo praesura

Ioan. 16. habere, dum in Christo pacem habet conscientiarum: noli igitur mirari vnde tanta mala pijs accidat. Præterea si regnum Christi non est hinc, errant igitur, qui in rebus externis & elementis huius mundi constituunt regnum Christi. Regnum Dei intra vos est. Verum cum audis regnum Christi non esse de hoc mundo, non intelligas ipsum nõ regere in hoc mundo. Omnia enim per ipsum creata sunt, & omnia per ipsum administrantur: vbiq; regnat, vbiq; dominatur siue in hoc, siue in alio mundo: Data est ei potestas in caelo & in terra. Sed tamen non dominatur pro ratione huius mundi: dominatur mundus carnali potentia, succumbit spiritali: Christus dominatur potentia spiritali, succumbit potentia carnali: mundus dominatur legibus, Christus Euangelio: mundus dominatur corporibus & rebus corporalibus, Christus cordibus & rebus spiritalibus. Vnde dicit: In patientia vestra possidebitis &c. *Dicit ei Pilatus: Ergo rex es tu?* Hoc enim rationalis homo cum esset, videbat consequi, vt si regnum eius non est hinc, aliunde sit: & vndeunque regnum: regnum vtiq; sit, Ideo per conclusionem infert: *Ergo rex es tu?* Itaque proposuit accusator Iudeus, assumpsit Christus, conclusit Pilatus. *Respondit Iesus, Tu dicis quòd rex sum ego.* Verbum consolatoriũ est, quod dicit Rex sum ego. Rex enim est omnium, iuxta Illud: Ego constitutus sum rex ab eo. Itemque: Constituisi eum super

Matt. 28

Christus
Rex.
Psal. 2.

ope.

opera manuum tuarum . Si igitur peccas , non desperes : non enim extra regnum eius cadis , nisi desinas esse opus Dei . hinc Sapiens : Etiam si peccamus , tui sumus . Agnoscat te suam possessionem , si tu agnoueris eum Dominum . *Ego in hoc natus sum , & ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati .* Clariù explicat Christus quale sit regnum suum , nempe regnum veritatis . Mendacium est quod non constar . Adam nõ constar , mundus non constar , solum verbum Domini manet in eternum . Cũ igitur Christi regnum , regnũ veritatis sit , constar quòd in æternum manebit . Regni eius non erit finis . Sensus est : Ideo veni in mundum vt prædicem veritatem , hoc est ; annunciem Euangelium , quod est potentia Dei ad salutem omni credenti . Et vt Euangelium annuncio , ita per Euangelium dominor in cordibus credentium , super peccatum , mortem & infernum : vt pro peccato iustitiam , pro morte vitam , pro cruce gaudium , pro inferno cælum largiar . Hæc sunt feuda regni mei . Horum particeps nemo potest esse , nisi audiat vocẽ meam , & credat in corde suo . Significat igitur se vocem suam , hoc est , Euangelium pro regio sceptro habere . Quid autem hæc contra Rom . Imperatorem ? Num Cæsar nollet quempiam nasci , qui testimonium perhiberet veritati ? Num detrimentum honoris eius esset , si quis militum ipsius audiret vocem testimonium perhibentis veritati ? Quis non detestaretur eum , qui hæc sentiret ? Veritatis enim nomen , nomen amabile est & honorabile , illud esse humanitas nostra sponte consentit : & licet significatum eius nequissimi nebulones oderint , tamen ipsum eius nomen nulli vnquam detestari licuit . *omnis qui est ex veritate , audit vocem meam .* Hoc verbo ostendit qui ad regnum eius pertineant , qui ambit eterna bona , qui diligit veritatem constantem , qui petit iustitiam , qui desiderat bonitatem & vitam eternam , is imperio meo se tradit , audit me . Nõ sum rex eorum , qui opes ambiunt , qui mouet seditiones , sicut voluptates , ambiunt honores huius mundi : sed qui sitiunt iustitiam , qui ardent gaudium celeste , qui libenter audiunt veritatẽ : & quos ego rego , nõ gladio , aut tyrânide rego , sed verbo Dei .

Gggg 5

Ni-

Psal. 8.

Sap. 15.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

Nihil igitur in Cæsarem peccaui. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* quasi dicat: Aliamne prædicas veritatem, quæ vel Pharisei inter suos, vel nostri sacrifici inter gentiles? Huius quæstionis respõsionem, quòd non magnopere videbatur ad causam pertinere, non expectat Pilatus. Nobis autem summa sollicitudine expectanda & inquirenda est Quid ergo est veritas? Sed heus tu, quid queris? En Christus qui astat, veritas est. ait enim: Ego sum via veritas & vita. Proinde quod idolorum sacerdotes de virtutibus nugantur, quod Iudgorũ Pontifices de carnali iustitia docens, mendacia sunt, solus christus, solũ Euangeliũ veritas est. *Et cum hoc dixisset, prodijt ad Iudeos.* Experimento iam didicerat nihil esse in illo, vnde interfecto illo se defendere posset, si de supplicio eius iniuste sompro, apud Cæsareẽ illum accusari contingeret; quippe iustorum omnium princeps & iustitiæ rex induerat pro thorace iustitiam, & pro galea iudiciũ certum, pro scuto inexpugnabilẽ æquitatẽ, vt eũ nullatenus in sermone capere posset. Ideo dicit eis:

Ioan. 14.

Sap. 5.

Rom. 4.

Ego nullam inuenio in eo causam. Testimonium innocentie Christo ab ethnico fertur, & interim accusatur à sua ipsius gente. Sic Euangelium apud suos pessimẽ, apud extraneos optimẽ audit. Habes hic rursus in Pilato iustitiam ciuilem, quæ suam quidem laudem habet, sed tamen coram Deo non cõstat. Vide autẽ quomodo hoc vno verbo omnes illi accusatores mendacij arguuntur: de clarabatur à iudice innocens, etiam audita causa, quem omnes vt nocetissimum clamauerat. Quid hic agerent? prima eorum machina contrita erat, Ratio & conscientia & euidentis experientia eos destituit, sed tamen omnia hæc vicit pudor & ira: pudor erat, discedere à iudicij loco victos: ira autem, eos quiescere non sinebat. ideo subditur: *At illi inualescebant clamoribus.* qui rationibus defecerant, qui mos est furiosorum. *Dicentes: Cõmouit populum, docēs per vniuersam Iudeam, exorsus à Galilæa vsque ad hunc locum.* Obserua quòd hic omittunt eam accusationem, quam omnium maximẽ contra eum valituram putarant, ad alia autem se conuertunt. O quàm laborat inuidia, & torquetur vt Digna est. *Pilatus audita mentione Galilææ,*

*tae, interrogauit si homo Galileus esset: & ut cognouit quod de Herodis diuione esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per id tempus. Cernebat Pilatus causam esse periculofam: aut enim innocentem damnare oportebat, aut Iudæorum indignationem incur-
 rere: vt igitur se ex hoc periculo euolueret, remisit eum ad Herodem. Iam quòd Christus nunc ad Annam nunc ad Caipham, nunc ad Pilatum, nunc ad Herodem pertrahitur, non eo consilio factum est, vt pereat, sed vt vbicuius maius testimonium habeat innocentie. Ad eum modum si Dominus obijciat pium varijs afflictionibus, non ideo fit, vt perdat, sed vt probet, & vt creatura, quibus cum tentatur, testes fiant probationis & patientie. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde, tenebatur enim multo iam tempore desiderio videndi eum, eo quod audierat multa de illo, & sperabat se signum aliquo visurum ab eo fieri. Herodes typus illorum est qui tantum ex curiositate scripturas vel audiunt vel legunt, cum interim nihil pietatis habeant in mente, Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil ei respondebat. Hic secunda vice Dominus tacet, qui non loquitur, nisi dum conscientiam audientis possit audire: non enim secundum aurem loquitur, sicut nec secundum faciem iudicat. Herodes autem talis erat, qui nihil solidi aut veri quærebat, sicut Pilatus fecerat, sed solum vanitatem: ideo indignus erat porcus hic, vt ante ipsum proijcerentur margaritæ. Et quia futurum erat vt gentibus clarius veritas reuelaretur, eò quod magis essent dispositi, quam Iudæi sicut Pilatus magis fuit dispositus quam Herodes. Vbi enim Christus inuenit vel modicum veritatis inquirendæ conatum, ostendit se paratum omnia reuelare. Pilatus modicè, tamen scyncere quærebat veritatem, ideo meruit audire plurima, Herodes carnaliter nimis gauisus nullam quærebat de eo veritatem, sed puram vanitatem, ideo tacuit Christus quod non fecisset, si interrogatus fuisset in alium finem: videlicet pro confirmatione suæ doctrinæ, sicut coram Anna: vel pro reuelatione veritatis, vt coram Pilato Sic & tu noli proderere qui sis, dum inimici tantum volunt scire quis sis, nõ au-
 tem*

Herodes

Matt. 7.

tem

tem emendare quod ipsi sunt. *Stabāt autem principes sacerdotum & scribe acriter accusantes eum*. Non poterant alijs verbis accusare, quā coram Pilato accusauerant, non enim alia habebant: potuerunt tamen ea exaggerare, atque eō fortiū: quia quō magis res differebatur, eō magis timebant ne causa eorum tepesceret & tandem deficeret. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo*. Apud huiusmodi enim homines plus valet praestigiator, quā praedicator. Spreuit autem eum, vt impotentem, qui nullum signum faceret: vt insipientem, qui nihil responderet: vt stultum, qui contra accusantes se non defenderet. Sic igitur Dei virtus & sapientia spernitur, vt hominis superbia aboleatur. *Spreuit eū cū exercitu*. Rex enim iniquus omnes ministros impios habet.

Psal. 2.

Hic igitur impletum est illud Dauidicum: *Aspiterunt reges terrae & principes &c. Cumque inuississet, induit veste alba*. Impijs enim ludibrio est veritas, iuxta illud: *Verbum crucis gentibus stultitia, &c. Remisit illum ad Pilatum*. Miserrimus omnium, qui Christum a se & domo sua exclusit, felicissimus futurus, si Christum sibi oblatum retinisset: sed mundus nihil vilius aestimat, quā Christum, cum nihil maius sit. In ipso enim omnes thesauri sapientiae reconditi: in ipso corporaliter requiescit diuinitas: in ipso vita aeterna & caetera. quae omnium miser ille a se repulit, dum Christum ad Pilatum remisit. Hic igitur nunc iam sexta vice vincens dicitur Christus: imò nedum vincens, sed & turpiter illusus, qua illusione ipsi aliquo modo refrigerati euomunt iram suam, & miserabilem illam ductionem penosissimam faciunt. Vide quantum ei nocuit & sua innocētia & nostra culpa: nisi enim nos peccassemus, ille nihil pateretur: & nisi ipse innocens esset, illi nocentes non fuissent in illum: dissimilis enim erat illis, & ob id grauis ad videndum: & quō magis timebāt eum posse liberari, eō vehementius inflammabantur. propositum enim eorū obstinatum erat, vt morte turpissima periret: quod nullo non magis poruit roborari, quā dilatione & dubitatione, solo autem effectu aliquo modo sedari. Et sicut Dominus Iesus quanto a principio passionis propius ad mortē & maiores penas venit, magis quā prolo-

1. Cor. 13

garetur

garetur passio, tanto maiorem ostendit mititatem & patientiam. Nam in principio captiuitatis rigidior erat, dum verbo veritatis, eos prosterneret minus rigidus eorum Anna. mitior coram Pilato: in cruce autem multis lachrymis pro transgressoribus orauit. Ita per contrarium Iudæi, quanto grauioribus pœnis eum affligebât, tantò amariore fiebant. Superbia enim eorum qui teoderunt ascendit semper. Interim autem Christus non cogitat vindictam, sed nostram miseriam: videbat enim se non necessitate sui hæc pati, sed amore nostri: nostra mala considerat, & libenter ex maxima charitate sustinet quicquid ei irrogatur, tantum vt nos redimat. vnde plus anxius est pro malo nostro destruendo, quam pro suo. Hæc diligenter attendenda, quia verè dignum, iustum, æquum & salutare est, nos ei semper gratias agere, qui pro nobis sic duci voluit, vt nos in viam reduceret, & pro erratis satisfaceret. *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in eodem die nam antea simulates inter eos intercesserant.* Causa simulatatum erat, quòd Pilatus quosdam Galilæos occiderat. Nunquam non dissidia Lucæ. 23 & odia inter impios sunt, sed in hoc omnes consentiunt vt Christum persequantur. Sic Psalmista: Psal. 2. Quare fremuerunt &cæ. Gentes fremuerunt quasi bestię, nesciunt enim quid facerent: populi autem, Iudæi scilicet, meditati sunt inania. Consilia enim conferebant, &cæ. Iuxta illud: Sermonibus odij circumdederunt me &cæ. Reges altiterunt, Pilatus scilicet & Herodes. Sic & in alio Psal. Simul aduersum testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ, Moab &cæ. facti sunt amici. sed interim Christus non liberatur. Sic & hodie plerunque tyranni post deuastationem pauperum & conuulsionem reconciliantur, nemo tamen est qui pauperibus sua restituat, &cætera. *Pilatus igitur conuocatis principibus sacerdotum ac magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auerterentem populum, & ecce ego coram vobis eum interrogans nullam crimen inuenio in homine hoc, ex his de quibus accusatis eum. Sed ne Herodes quidem. nam remisisti vos ad illum, & nihil dignum morte actum est ei. Testimonium innocentię Christi ferunt Iudas, Herodes, Pilatus, vxor Pilati,*

Pilati, Centurio contra impietatem Iudæorum, ut grauior in iudicio Dei fiat eorum damnatio. Paulo post videbis cælum & terram & lapides contra eos testificari. Verè enim dictum est: Odio habuerunt me gratis. *Emendatum ergo illum dimittam.* Hoc erat contra iustitiam castigare absque culpa, verùm ipsi ne hoc quidem contenti erant, omnino abolitum volebant eius memoriam. Grauius igitur tunc insisterent, cum audirent eum dimittendum. Viri enim sanguinum non nisi morte aliorum satiantur. *Iesus autem cum accusaretur à summis sacerdotibus nihil respondit. Dicit ergo ei Pilatus: Non respondes quicquam? Ecce quàm multa aduersum te dicant testimonia. Et non respondit ei ad vllum verbum, ita ut miraretur Præses.* Non enim digna erant responsione, quæ obijciebant, vel ipso præside teste. Non igitur miratur præses quod nihil responderet, sed miratur eius patientiam: non enim expertus erat aliquem reum, qui non omni lingua yfusu & quibuscunque posset se tueretur. Deinde miratur quòd non petit remissionem, aut liberationem, cum innocens esset, & quo finè sic mortem non timeret: cauam tacendi non videt, sed maximè loquendi: quia conuictus tacere debet, non autem innocens. Cæterùm Christus in seipso expressit quibus armis Christiani contra mortem pugnare debeant, & contra aduersariorum criminationes, nempe innocentia, patientia, &cætera. *In festo autem consueuerat præses populo dimittere vnum vincitum, quemcunque postulasset.* Nò erat lex, sed consuetudo, nata è liberatione Israël ex Aegypto. In cuius rei memoriam Deus instituerat Pascha. Sed hypocrisis verbo Dei non contenta, suas semper adijcit nugas, quæ speciem quidem habent pietatis, sed plerùmque contra legem Dei tacitè admodum statuuntur, quemadmodum erat hæc consuetudo. Nam instituta fuit pro gratiarum actione erga Deum, quòd tanta misericordia captiuos ex Aegypto liberauerat: sed erat contra legem Dei, quæ iubebat fontem occidi. Deinde etiam contra legem erat, instituire aliam memoriam, præter eam, quam Deus in Pascha instituerat per agnum & azyma. Sed cur nos omnes vincitos dimittunt, cum

Exod. 12

cum

cùm omnes essent in phase ex Aegypto liberati? & car. Sed hypocritis in omnibus fingit speciem pietatis, pietatem non habet. *Habebat autem vinctum, insignem nempe latronem; qui dicebatur Barrabas: qui cum seditionis autoribus coniectus fuerat in carcerem, qui & per seditionem quandam factam in ciuitate fecerat homicidium.* Exacte latronem hunc suis coloribus depingit, vt maior appareat Iudæorum malitia, qui hunc talem Christo præposuerunt. *Dixit ergo eis Pilatus: Consuetudo est vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha.* In Pilato vides egregiam & iustitiam & prudentiam civilem. Atque vtinam nunquam fortitemur peiores & imprudiores magistratus. Optamus quidem verè bonos & pios reipublicæ principes: sed si omnino propter iniquitates nostras meremur impios magistratus, optamus Pilato non dissimiles: nam consydera quæso quanta prudentia infontem Christum liberare studeat: cùm enim hoc violentia non posset pro tumultu populi & pontificum potentia, rem prudenti consilio & iudicio aggreditur, consuetudinem proponens & eis satisfacere volens etiam antequam rogaretur, nam sperabat fore, vt animos Iudæorum sibi hac parte obediens & promptos faceret. adducit tandem Iesum, quòd cõsuetudinem ipsorum, quamuis ethnicus, tãta promptitudine velut confirmaret, & nonnihil videretur regno ipsorum fauere. Dicit igitur: *Vtrum ergo vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum illum regem Iudæorum, qui dicitur Christus?* Non alium proponit quàm Barrabam nocentissimum illum, cui sciebat omnes esse inensos, sperans quòd potiùs Christum dimitterent. Sic igitur cõfertur innocentissimus Christus, cum nocentissimo latrone. Figuratum hoc fuit in lege de duobus hircis, super quibus sortem mittere iubebatur sacerdos, vnam Domino & alteram capro emissario & car. Duo hirci Christus & Barrabas. Et Christus quidem secundum *Leui. 16.* suam innocentiam, verè agnus Dei erat, atamen secundum iniquitates omnium nostrum, quas in se receperat, quasi hircus extitit. Barrabas autem non alienis, sed *Eesai. 53.* proprijs peccatis hircus. Audi igitur iudicium & sortem, *Principes autem sacerdotum & seniores concitauerunt turbam,*

turbam, persuadentes ut sibi potius peterent dimitti Barrabam, Iesum verò perderent. Dicit igitur Preses: Virum vultis vobis è duobus dimittam? Et clamavit simul vniverſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. O cæcitas, o furia, quid hoc aliud est dicere, quàm occidatur ille, qui fuscitat mortuos, & dimittatur latro, vt occidat viuos: pereat lux, & remaneant tenebræ: auferatur pacificus, relinquatur seditioſus. Iſte est clamor de quo

Eſai. 1.

Dominus per Prophetam Eſaiam: Expectaui, inquit, vt facerét iuſtitiam, & ecce clamor. Hic igitur vides quòd fors ad Dominum exiit ſuper hircum noſtrum, Chriſtum ſcilicet. Ad ipſos autem fors exijt in hircum illū, fœtidum ſcilicet Barrabam, qui emiſarius illis factus eſt in ſolitudinem, id eſt, gentem illam à Deo deſolatam, dimiſſus & reſtitutus eſt. Latronem elegerunt, ſaluatorem reprobarunt. Latronibus igitur & gladio obnoxij ſunt, ſine vllò ſaluatore. Prædixerat hoc Eſaias:

Eſai. 1.

Væ genti peccatrici, & filijs ſceleratis, qui petierunt virum, homicidam donari ſibi, auctorem verò vitæ occiderunt. Iuſtè ob hoc ipſam ſeditionibus & homicidijs perituri, quia principem dederunt pro auctore ſeditionis: & filium Dei commutauerunt pro filio patris

Ioan. 8.

fui diaboli. Barrabas enim interpretatur filius patris, quis autem pater eorū, niſi diabolus, qui vel ipſo Chriſto teſte, fuit homicida ab initio? Meritò ergo poſſederunt ſeditiones & ſanguinem homicidij tantis calamitatibus inuoluendi, quantas nemo vel ſatis ſcribere vel ſatis eloqui poſſit. Imò meritò ob id factum quòd in Prophetis populus ille dicitur filia latronis. Circa hęc autem textum, plura obſeruanda ſunt. Primò enim hic vides quòd nihil eſt quod impia mens non præferat Chriſto, & veritati, ſi lucrum ſciat. Deinde docemur, ne in populi applauſu confiſdamus. Qui enim paulò antè Chriſto concinebant, Benediſtus qui venit in nomine Domini, nunc clamant, Tolle hunc, & crucifige eum. Præterea vides hic mundi ingenium. Dicit enim malum bonum, & bonum malum: nec vnquam agnoſcit peccatum, niſi ſpiritus veniens arguat eum peccati. Præterea ſicut hic Chriſtus pacis auctor, ſeditionis accuſatur, & latro ſeditioſus liber dimittitur: ſic verè

Eſai. 5.

mundus

mundus solet nocentibus esse benignus, sed innocentibus aduersarius. Postremò, omnia quæ hic audis nõ ea se euenisse credas, sed diuino consilio: oportebat enim Christum extenuari infra nouissimum virorum, & descendere in extremum cõtemptum, vt super omnia glorificaretur. Nam maximus est descensus, abiectiorem & nequiores latrone reputari: sed hic descensus est ascensus mediatorum. Proinde si contemptus fueris & vilissimo postpositus, hoc festiuus ad Christum accede, qui in se affectum tanti contemptus transtulit & vicit, vt tu in ipso per fidem vincas. Non igitur mirandum, si aliquando insons ad supplicium ducitur, & sors dimittatur. Sic enim & Christo contigit. *Iterum Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum: sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Quid ergo vultis vt faciam de Iesu, quem dicitis regem Iudæorum?* quasi dicat: Si latro dimittendus, multò magis ille qui innocens esse probatur: aut qua iustitia eum possum condemnare, si pro eo latro fuerit dimissus? Ipsi petitis eum liberari, dum latronem petitis dimitti: qui enim noxiùm vult dimitti, multo magis iustum. Ita quidem est apud eos, qui sanæ mentis sunt, sed hos excæcauit malitia. *At illi rursus clamauerunt omnes, Crucifige, crucifige eum.* Non frustra est quòd volebant eum crucifigi, cupiebant enim plebem hoc modo fallere, ac à Christo alienare, vt quia in lege scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno:* Christum quoque à Deo maledictum ostenderent, vt eo modo periret Christus, & illius bona fama & opinio, claritas miraculorum & quicquid in Christo erat boni. Ille autem tertio eis dixit: *Quid enim mali fecit? Nul- lam crimen capitale in eo inuenio, castigatum ergo dimittam illum.* At illi magis clamabant, dicentes: *Crucifigatur. Et inualecebant voces eorum.* Nihil amplius nisi clamoribus agunt, id quod impij solent, vbi in causa deficiunt. Suscipiamus nos eum, quem ipsi tam vilem æstimarunt: Adhæreamus ei, qui pro nobis sic vilipensus est, &c.

IN DIE PARASCEVES.

SI verba quæ præfationis loco initio passionis proposui, & hoc die quo celebramus passionem Christi, H h h h repeto,

Esaï. 53:
Ephē. 1.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

repeto, diligenter attendimus, simulq; ea quæ hoc die facta sunt, materiâ & flendi & gaudendi, habemus: sed quidè, quòd tanta fuerunt peccata nostra, vt necessariū fuerit Christum ad ea diluenda tam atrociter tractari. Gaudendi autem materiâ habemus ex fructu, qui inde provenit: verè enim fœlix hora, dies, fœlix annus nostræ redẽptionis: hodie enim chirographũ nostrę dationis cruce affixũ & deletum est: hodie fructus ligni vetiti per immoderantiã cõtra præceptũ Domini degustatus, per sumptionẽ amari fellis perfolutus est: hodie ex latere secundi Adã dormiẽtis in cruce Ecclesia formata est: hodie mors filiorum Dei occisa est, & vita resuscitata: hodie pro peccatis totius mundi perfecta factio factio perfoluta est. Hæc itaq; dico, attẽdat qui fructuose suppliciu Dñi audire velit. Sed nũc ulterius videam⁹ quomodo seruerit in peccatis nostris. Et hæc nũc quidẽ satis dictũ est, quòd Christus illusus sit, & ad varios iudices vt nocẽs pertract⁹. Deinde quomodo ab ingrata gente sua rã viliter æstimatus sit, vt latronem ei preponderet. Præterea quomodo Pilatus nihil nõ fecerit pro eius liberatione, sed tamen nihil profecit. Sequitur ergo: *apprehendit autem Pilatus Iesum & flagellauit.* Grãde spectaculũ mundo & angelis & hominibus, vt à seruis peccati, princeps & vindex libertatis seruilibus modis conderetur. Circa hunc autem locum plura obseruanda sunt. Primò, quòd ad iudicem attinet, qui Christum flagellis adiudicauit. certum est quòd ipsa sententia iniũstia est, & tamen iuxta hoc si recte attendas, fuit prudentissima. Videbat. n. Pilatus Iudæos rã inuidia in Christũ debacchari, vt nulla eloquẽtia, nullis blanditijs à eade eius cohiberi possint: proinde vt is maius malũ siue crimen euitare posset, quod est infontis ac innocẽtis suppliciu minus quam homicidiũ elegit, & pronũciat Christũ flagellis esse eadendũ, si forte Iudæi hoc supplicio exatiati, metis suæ furorẽ remitteret. Deinde circa ipsam flagellationẽ attende primò Christi denudationẽ, quę homini verecũdo omnibus tormẽtis grauior est. Secundò ipsius constrictionẽ vel alligationẽ. Tertio lacerationẽ tenerrimi corpõs. Quarto ipsius patientissimam taciturnitatem. Verè enim si

eut agnus coram tondente se nunc obmatuit. Hic igitur impletum est illud Psalmistæ: Suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores, &c. Itemq; illud: A planta pedis vsq; ad verticè capitis, non est in eo sanitas &c. O Esa. i. ineffabilis benignitas Dei, quæ effecit vt tam charè nos redimeret filius Dei. Vides quàm vere dictum sit: Non corruptibilibus, sed sanguine agni immaculati redèpti sumus, &c. Vides quo labore ouis perdita quæ sita & inuenta est, & in humeris pij pastoris reducta. Væ miseris illis, qui man^{us} suas polluerūt in sanguine innocētis: sed & væ nobis si ingrati fuerimus. Ecōtrā beati, si in sanguine huius agni lauemus stolas nostras, quod tūc sit, si credamus Christum pro nobis hæc perpeffum. Sic etiā in Esaia dicitur: Oēs nos quasi oues errauimus, &c. E quib^{us} verbis patet oīm peccatorū pœnas à Christo exatas esse. Cùm igitur peccata innumerabilia sint, quis hæc flagella satis explicabit? Fecit Christus instar piæ matris, quæ cū videt patrè iratū, filijs occurrit expanctis brachijs, seq; pro filijs flagellis exponit. idē fecit Christus. Præterea & aliud quiddā circa hanc flagellationē attendendū. Interim. n. cū mundus sua opera in flagellando Christo agit, Dñs nec sua negligit. Solet. n. Dñs sub impiorū operibus, quibus pij afficiuntur, suum opus exequi. Nam & patriarchis Iosephum in fontem vendentibus, & suam libidinem in ipso explentibus, Deus suum opus executus est, sub ea enim ipsa venditione occulte admodū ipsum Ioseph ad dominium super fratres euexit. Ita & hac flagellatione dum Pilatus & Iudæi sua agunt, Deus interim sua exequitur. Nam omnia flagella, omnes afflictiones nondum mortiferas in his filijs sui innocentis flagellis sanctificat & benedicit, vt quequid afflictionum pio acciderit, non officiat, sed potius pietatem inuet. Atque per hæc flagella, quibus Christus caditur, factum est, vt Deus pater omnibus flagellis pio contingentibus faueat. Ad hæc declarauit Dominus in vnigenito filio suo qua conditione in hoc mundo velit adoptiuos & electiuos filios suos tractare. Si enim passus est, vt vnigenitus flagellatur: quanto magis patietur flagellari adoptiuos? Quem Dominus diligit, corripit: flagellat autè &c. Quid ad hæc dicturi

H h h h z sunt;

Prou. 3:

sunt, qui in delitijs viuunt, nec cogitare quidem tristitia possunt, ac in terra alterum paradysum ædificare conantur. En quos ædificauit, ego destruo, & tu tibi quæris grandia? *Milites autem abduxerunt eum intro, conuocauerunt ad eum totam cohortem, & induunt eum purpura.* Quod milites illi ludentes summo contèptu ac crudeli ioco fecerunt, hoc Christus Dei virtus & sapientia nendum seriò suscepit, sed & vt hæc fierent vtilliter prouidit. Vestis igitur purpurea (quæ regalis maiestatis insignis est) id significat, quòd Christus morte sua deicctis hostibus, vt pote carne, peccato, diabolo, mundo, inferno, vniuersum hominum genus in libertatem asserturas esset: vel per chlamydem coccineam significatù est ministerium charitatis, quo in passione sua pro nobisungebatur. coccus enim coloris ignei, qui in tabernacula Domini bis tinctus iubetur allumi, geminato significat dilectione, Dei & proximi: quo fit vt quicquid offerimus ignitum & bene coloratù, corà diuinis placeat còspectibus. Ipse autè propter nimiam charitatè erga nos bibit calicem passionis. Sicut ipse: Vt cognoscat, inquit, mundus, quia diligo patrem: sicut mandatù dedit mihi, sic facio. Præterea regi nostro chlamys coccinea induitur, vt significaret eum ipsum esse qui in lege per vitulam ruffam significatus est, cuius corpus iubebatur extra castra cremari pro peccato, & cinis eius in aqua super populù spargi. *Et plèntes coronam de spinis.* Spinea corona etià visibiliter significat id quod propheta dixit: Et peccata nostra ipse portauit. Spinè naq; peccata designant, quæ animam & pungunt & lacerat. Nam & propter peccatum homini data sunt, dicente Domino: Cùm operatus fueris terram, dabit tibi spinas. Præterea tametsi impio contèptu spinea coronam Domino imposuerùt, non nihil tamen diuini hac coronatione agitur: per hoc enim adumbratù est, quod regnum eius non sit de hoc mûdo, hoc est, præclarù, pompa & externis viribus potès, sed est spinosum & purpureù: id est, passionibus, & afflictionibus obnoxium. Nà corona regù huius mûdi partim sunt ferrea, partim argentea, partim aurea, quibus significatur imperium huius mûdi còstare potètia, splendore & nobilitate carnali. Corona

Eph. 2.

Num. 19

Esa. 53.

Gen. 3.

rona aut Christi spinea est, vt hoc indicio agnoscas reg-
 nū Christi cōstare spinis, id est, afflictionibus. Et qualis
 Rex Christus, tales & nos reges facit scilicet tribulatio-
 nibus obnoxios. *Imposuerūt capiti eius.* Quis hic fatis ex-
 primet dolorem venerādi capitis Christi, quod alioqui
 iam plūs fatis affliktū erat? Vide quā grauitur Chris-
 tus punitus sit pro superbia & voluptate nostra: attē-
 de impie, qui etiam voluptatibus & vanitatibus studes,
 cū Christus interim spinis coronatus sedeat. *Dederūt q̄;
 arundinem in manu eius.* Et hoc in contēptū fecerūt, sig-
 nificātes quōd regē se fecisset, & tamen nullum regnū
 haberet: imō quale sceptrum gereret, tale & regnum
 haberet. Significabat autē hæc arūdo in manibus Chri-
 sti, quōd potestātē haberet ponendi animā suā, & iterū
 sumēdi eā. Et sicut Moses coram Pharaone suam pro-
 iecit virgam, quæ in colubrum versa, deuorauit in co-
 lubros versas virgas Aegyptiorum, iterumq̄; redijt in
 virgam: sic ipse nunc suam positurus erat animā, vt des-
 cenderet in mortem, quæ per colubrum intrauit in mū-
 dum, colubrosq̄; Aegyptiorum, id est, mortes Aegyptio-
 rum absumeret atq; iterum in virgam, id est, potesta-
 tē pristinā rediret. *Et genu flexo ante eū illudentes ei: cœpe-
 runt salutare eū dicētes: Aue rex Iudeorum.* Cū regnum
 Christi tale sit, vt inter spinas hæreat, nō mirum quōd
 rideatur & subsannatur à mūdo, nam Euangeliū est stul-
 titia mundo. Audientes enim Christū esse regem & in-
 terim spinis coronatū videntes, contēnunt. Audientes
 Euangelium polliceri liberationem ab omnibus affli-
 ctionibus, & interim videntes non alio comite, quā
 cruce aduenire, subsannant. Audientes Christianos esse
 reges peccatorum & mortis, videntes tamen morien-
 tes & infirmos, palam rident. Itaque Christiani stulti
 sunt coram mundo, quōd sperant auxilium & libera-
 tionem, cū interim omnibus afflictionibus obruan-
 tur. Hinc vxor Iob dixit: *Benedic Deo & morere.* Cē-
 terum adoratores illi impij adumbrarunt etiam hypo-
 critas illos, qui gestulationibus externis pios se osten-
 dunt, cū interim cor eorū prauū sit, nulla fides afsit,
 & cor habeāt lōge à Deo. Verus Dei cultus, fides, spes
 & caritas, & lauari, mūdū esse, &c. Esa. 1. *Et dabāt ei ala-*

Ioan. 12.

1. Cor. 12.

Iob. 2.

pas. Vt omnia flagella, ita omnes alapa quibus pij va-
pulant in Christo sanctificatae sunt: proinde qui ala-
pa percussus repercutit, quid aliud facit, quam quod
sanctificatione a se rejicit? *Et expuentes in eum, acipiebant
arundinē & percutiebant caput eius.* Caput Christi arūdi-
ne percutiūt, qui humanis doctrinis, etsi totū Christi ca-
put, id est, Euangeliū non amputant, tamē subinde op-
pugnant. Vide igitur spectaculū à seculo nō vīsum, nec
audītū. Si nō essent hęc scripta in euangelio, quis crede-
ret ea, aut quis prędicare auderet? Sed quia scripta sunt
secure ea & credimus & prędicamus. Quis autē hęc au-
diēs nō cōtremiscat, cū certū sit ea omnia nos sine si-
pe passuros fuisse, nepe vermē & punctiōē cōscientie,
irrisiōē ab omnibus creaturis, & à Deo ipso separatio-
nē, nisi Christus voluntariē hęc pro nobis sustinisset.
Agamus igitur gratias ei, &c. *Exiit Ergo iterum Pilatus
& dicit eis: Ecce adduco eum foras, vt cognoscatis quod nul-
lā causam mortis inuenio in eo.* Producitur Christus à Pi-
lato sicut erat cōspūsus, flagellis dilaceratus, & spinis
coronatus, hoc consilio vt ipso spectaculo Iudeorum
sæuitiam mitigaret, & mentes eorū miserabili & contē-
pto habitu ad misericordiā inuitaret. *Exiit ergo Iesus fo-
ras gestās spinē coronā et purpureū vestimentū.* En hęc sunt
in signa regis nostri. Hoc modo vidit eū Esaias, cū di-
ceret: Vidimus eū, & nō erat aspectus, &c. Huc igitur
dirige oculos, quicumq; in afflictione es: ob id enim tibi
ob oculos ponitur Christus, ne desperes. *Tūc dicit eis
Pilatus: Ecce homo.* quasi dicat: Videte an homo sit vel
homini similis, & nō potius mortuo sepeliendo: nimirum
quod timetis hūc regnaturū super vos: & si aliquando
se dixit vestrū regē, videte quomodo omnia sibi cesse-
runt in detrimentū: ecce qualis rex, qualia insignia. vi-
dete exiliū eius, viuere non potest: miseremini igitur
eius, homo enim est, nō canis, quāuis indignū tracta-
tus, sit quā canis. *Ecce homo.* Verissimē dictū, quia cū
in forma Dei esset, in similitudinē hominū factus est,
&c. Egredimini igitur & videte regē Salomonem, &c.
*Cū ergo vidissent eū Pontifices & ministri, clamabant, cruci-
fige crucifige eum.* Quantum ad leges ciuiles attinet, iure
nūc Christus esset liber, quando iudicis sententię sit

1.1.11601

Esai. 53.

1.1.11601

Phil. 2.

1.1.11601

satis.

fatis factum, & ciuiles leges vni causæ vnum duntaxat
 pœnam decernunt. Sed hanc sortem & Christus & Euā
 gelium in mundo habent, vt nec ciuilitate iustos in causa
 sua iudices experiantur. Nam vt aliās Christus à phari
 saeis damnatur non auditus, & Euangelium contemni
 tur nondum cognitum: ita hoc loco Christus, vt maxi
 me iudicis sententia sit absolutus, quandoquidem per
 soluit latæ sententiæ pœnam, impietas tamen nondū pro
 hibidino sua pœnis exaturata est. Dilatauerunt igitur os
 suum, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi nostri, quasi
 dicat: Bene actū est hæcenus, quod nūc restat exequere.
 Crucifige eum. Simili voce postea clamauerunt infani eth
 nici in Christianos: Ad bestias, ad bestias. Tollantur sa
 crilegi, tollatur. Nā quò infirmior apparet Christus, eò
 plus insultant impij. *Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, &
 crucifigite, ego. n. no inuenio in eo causam,* quasi dicat: Putatis
 me impię cædis ministrum fore? Ego ne præter Romano
 rum leges innocentes occidam? Ego ne clamoribus ve
 stris territus, impium homicidam agā? Legum admini
 strator sum nō alienæ inuidiæ vltor. Proinde si tantum
 crimen est infontem esse, qualem hunc inuenio, accipite
 eum vos, & crucifigite: non enim inuenio inter meos iu
 risperitos, legem quæ innocentem occidat: si apud vos
 est talis lex, quæ extremo supplicio innocētem afficiat,
 vos soli hoc facite, ego in tantam temeritatē non con
 sentiam. Timebat ne (quod futurum erat) pulsatus in iu
 dicio Cæsaris sustineret molestiā, non habens quam de
 interfectione eius redderet causam. *Responderunt ei Iudæi:
 Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori,
 quia filium Dei se fecit.* quasi dicant. Quandoquidē Pilate
 appellas ad legem nostram, producemus tibi eam nā ha
 bemus legē quæ iubet vt blasphematores nominis Do
 mini & Pseudoprophetæ occidantur: iste autem non so
 lum pseudopropheta est, sed etiā nominis Dei blasphe
 mator, quia filiū Dei se fecit. Cæterum legem quam hic
 allegant Iudæi, vel illam intellige: Qui blasphemauerit
 moriatur: vel illam, Si surrexerit in medio tui prophe
 tes, &c. Verūm neutra lex in Christum competit, vel ip
 sis aduersarijs testibus, & tamen de his accusat. Sed nos
 tra sunt hæc crimina, quæ Christus expiaturus vene
 rat

Psal. 34.

Leui. 24

Deut. 13.

Hhhh 4 rat

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTHE.

rat. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Vel hinc intellige Pilatum non quidem verè, sed tamen ciuilitè iustum fuisse (qua tamen iustitia omnino impij pharisæi carebant) & deos esse reueritum: si non piè, certè ciuilitè, quales plures sunt honesti viri, opinionem quidem de Deo, sed nullam rectam fidem habentes. Ad hæc Pilatus gentium more credidit deos cælo descendere & rursus ascendere: quemadmodum Pœtæ de Ioue, Mercurio, &cæt. fabulantur. In summa, Pilatus ab Euangelistis sic describitur, vt appareat ipsum fuisse honestissimū & prudentissimū virū, sed vīq; ad aras. Proinde ne impius in deos suos videretur, Iouis aut Vulcani filium condemnando, certitudinem rei exploraturus, Egressus iterum in prætoriū, dicit ad Iesum: *Vnde es tu?* Nimis importuno tempore hoc interrogabat, quia tempus maximè tacendi tunc erat: & ipse audire indignus erat, quia credere volebat. Præterea quia iam eundem agnum Dei malè totonderat, id est, flagellauerat, ideo coram illo iudice obmutuit, & non aperuit os suum, ideo subditur: *Iesus autem responsum non dedit ei.* Nihil enim ad Cæsarem aut Pilatum filiusne Dei esset, an non: nam quòd accusatus erat seditionis, iam excusatum & dilurum erat. Sed cur non saluti ipsius Pilati consuluit? Christus hoc silentio docuit omnem eruditionem frustraneam esse, quæ non pietatis amore, sed supplicij timore auditur. Quærebat enim Pilatus, vnde esset, nō vt disceret pietatē, sed vt se ex ancipiti discrimine liberaret, hoc est, timuit supplicium deorū, non dilexit innocentiam, nisi quantum fert honestas ciuilis, non quantum fert fides. Sic nec Herodi respondit, qui tantū interrogabat desiderio nimirum rerum cognoscendarū. Ad eundem modum & multi ad conciones properant, partim desiderio vanitatis, partim timore inferni, paucissima pars amore iustitiæ. Proinde priores spe sua destituentur, non enim vllum audient responsum Dei, vt maximè concionum verba auribus audiant: nec infernum effugient, nam impius quod timet, accidit ei. Posteriores verò sui voti cōpotes erunt: Beati enim qui esuriunt iustitiā, &c. *Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris?* quasi dicat: Negligis tuam ipsius salutem?

Esa. 53.

Mat. 5.

rem? nescis te in capitis periculo constitutum? Cur igitur mihi non loqueris, vt te absoluaui? *Nescis quia potestatem habeo crucifigendi te, & potestatem habeo absoluedi te?* Ex ore igitur tuo condemnandus es o Pilate, quia videlicet innocentem & iustum cum dimittere posses, crucifigere maluisti. Modicum autem sustine, loquitur tibi postmodum, & dicit vnde sit. Dominus namque qui nunc infirmus sub potestate tua tenetur, sicut foris egredieretur, & cat. vociferabitur & clamabit: Tacui, semper silui, & cæ. Tunc igitur loquetur ad te in ira sua, clare dicens tibi, quod nunc interrogas. Ego autem constitutus sum rex ab eo, & cæ. Cæterum in Pilato pulchre admodum rationis humanæ in donis Dei ingenium manifestatur. Si enim homo ratione sola, non ite fide perditus fuerit à Dño donis insignitus, non agnoscit ea vt dona, vt aliena, sed vt propria merita: Proinde putat sibi in his licere quicquid libet. Fides autem docet hominẽ è donis à Deo sibi collatis nõ fieri dominũ, sed seruum & ministrum: & quo maiora dona quis acceperit, eo maiori seruituti obnoxius est, vt Christus ait: principes gentium dominantur eorum. Inter vos autem non sic, & cæ. Magistratus igitur potestas, donum Dei est: quod si fuerit collatum impio, nihil non iuris in eo dono sibi arrogat: sin pio, agnoscit se eo maiorem seruum factum, quo maius donum accepit. *Respondit Iesus: Non haberes aduersus me potestatem vllam, nisi tibi data esset desuper.* Non fert blasphemiam Christus, quasi dicat: Non per Cæsarem, nec per istos qui clamando confortant brachium tuum contra me, sed ab eo qui super omnes est, datam habes potestatem in me: nam nisi ille teneret manum dexteram meam, & in voluntate sua deduceret me, poteram ego saltem respicere te, & vnus vocis ferrea virga tanquam vas figuli confringere te. Ergo quia traditus sum desuper (tradidit enim pater me nec pepercit filio suo) non gloriaris: quia non tua potestas, sed diuina permissio est. Præterea nec vera potestas est, quam in me exerces, sed latrocinium. Data est enim potestas in laudem bonorũ, iram autem malorum, non vt innocentem affligas, potestatem dedit pater gladio super Christum, cum dixit: Framea suscitare, & cæ. Acce-

Hhhh 5 pisti

Esai. 24.
Psal. 2.

Mat. 20.

Psal. 2.

Rom. 8.

Rom. 3.

Zach. 13.

1. Tim. 1. piffi potestate, nō tamē licet quod libet. Sicut enim lex iniustus tantū posita est, sic magistratus ius gladij tantū in impios habet. Quod si gladio occidat infantes, tyrannus est, nō legitima potestas: atrociniū est, nō magistratus. Quod igitur permittitur tibi potestate tua abuti, noli gloriari: quia nō relinquet Dñs virgam peccatorū super fortē iustorū, &c. Nūquid gloriabitur securis cōtra eū, qui fecat in ea? &c. Latro nihil iuris habet in hominē, at interim potest eū ex insidijs adoriri & occidere. Sic tu nihil habes in me potestatis, nisi quantū pater permiserit. Vides quō his verbis impios magistratus terret. Deinde quā egregiē conscientias suorum confirmet, vt sentiant nihil posse regnum mundi contra eos, præter id quod pro sua benevolentia pater admittit, vt experiamur eius præsentiam, & fides nostra cōfirmetur. Sic in Propheta: Ego erō ei murus igneus. *Prophetea qui me tradidit tibi, manus peccatū habet.* Non excusatur Pilatus, sed confertur cum Iudæis, quasi dicat: Illi legē habent, & non nescientes, sed inuidētes abutuntur permissu Dei: tu verō legem eam non accepisti, & ideo non tantum tibi vel insipientia vel malignitas est odisse sapientiam, vel nescire sacramenta Dei: tu ignoti hominis sanguinem fundens, homicidium facis, illi regem & Dñm suum ad mortem tradentes cum homicidio & sacrilegium faciūt. Sic & adhuc plus peccant impij hypocrita Christum tradendo & magistratus incitando, quā magistratus persequendo. Hi enim scripturarum ignari, tantū publicam tranquillitatem spectant persequendo Christum: illi verō non publicam pacem spectant, sed tantū suā libidini, suā invidia & odio satisfacere conantes. *Et exinde querebat Pilatus eum absolueri, Iudæi autem clamabant: Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* Non amore Cesaris, quē pessime oderant, aduersus quem frequenter seditiones mouerant, sed odio Christi hæc dicunt, & prætexunt Cesaris nomen, quō libidinem suam in Christo expleant. Hoc aut zelo vincitur Pilati iustitia: hac acclamatione frangitur constantia eius: adeoque hinc manifestum sit, civilem iustitiam in vera tentatione non constare, nec nisi vsque ad aras valere. Itaque Pilatus timens ne falsō apud Cæsarem

farem, tanquam fauerit Cæsaris hosti, traduceretur, & à magistratus sui functione deiceretur, Christum morti adiudicauit. Sed vt rectè Salomon ait: Quod impius timet, accidit ei. Est enim Pilatus postea e sua præfectura eiectus, vniuersa a Iosepho, ac tantis malorum cruciatibus afflictus est, vt propria se manu transfuerberans, nefariam vitam vi abiectissè referatur, vt scribit Eusebius in Ecclesiastica historia libro septimo capite octauo. vsq; adeò iudicium Domini licet tardet, non tamen aufertur. *Pilatus autem cum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, & sedit pro tribunali.* Quale iudicium sperandum est, vbi animus iudicis auaritia præoccupatus est? *In loco qui dicitur Lithostrotos: Hebraicè autem Gabbatha.* Lithostrotos, à λίθος lapis, & στρωτόν stratum, quasi dicas lapide stratum. Gabbatha autem Hebræa quidem vox est, sed habet Syriacam vel Chaldaicam terminationem. Est autem idem quod collis seu eminentis locus. *Erat autem parasceue Pasche.* Ex hoc verbo videtur quòd Christus non sit crucifixus ipso die festo Paschæ, cuius contrarium supra asseruimus, vbi & hæc obiectio diluitur vide supra: Prima autem die azymorum. *Hora ferme sexta.* Marcus ait: Erat hora tertia, & crucifixerunt eum. Non est tamen contradictio: colligi enim potest ex Mattheo totum diem fuisse distributum in horam matutinam, tertiam, sextam, nonam & vespertinam. Quicquid igitur inter tertiam & sextam factum est hora tertia factum dicitur, propterea quòd nondum sexta aduenerat. Non igitur dicit Ioannes hora sexta Christi cruci adiudicatum, sed ferme sexta, significans adhuc tertiam esse horam, vt Marcus dicit, sed multum tempus ex hora tertia iam effluxisse, appetente iam sexta. *Et dicit Iudeis: Ecce rex vester.* Vide quàm inuito animo furori Iudæorù obsequatur Pilatus, nam etsi comminati fuerint indignationem Cæsaris, nullum tamen non lapidem mouet, si quo pacto fieri posset, vt innocens liberaretur. Iustior certè fuit multis nostro tempore, qui ne expectatis quidem Cæsaris mandatis, insaniunt, & cæt. Obserua autem quod Pilatus priùs dixerat: Ecce homo, nunc autem: Ecce rex. non autem dicere potuit: Ecce filius Dei. Hoc autem addiderunt Iudæi, dicentes:

Ecce

Lib. 18.

17.

Su. c. 16.

Matt. 26

Christus
qua hora
passus.

Ecce filium Dei se fecit. Hæc tria verissîma nomina sunt vnîus Christi, homo, rex, Deus, vel filius Dei: quem quidem sic irridentes confessi sunt inimici, sed venerantes & serîo adorantes confitentur amici. *Ili autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Puta dixisse Iudæos infælices, Tolle à nobis regem, tolle principem, tolle sacerdotem. Ex nunc enim impletum est illud O-

Oseæ. 3. Multis diebus sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, sine sacerdote, &c. Item in hostijs & muneribus vadent ad quærendum Dominum, & non inueniêt, quia ablati sunt ab eis. Et meritò, quia dixerunt, Tolle saluatorem, crucifige propiciatorem, ideo perdidit salutem, & nullam habent defensionem. *Dixit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem.* Ecce quanta inuidia. Erat populus Iudaicus mirè affectans libertatem, & tamen vt Christum interficeretur perpetuè se subijciunt seruituti. Christum autem regem negare, est nolle Christum super se regnare, nolle Christum in se operari. Nolunt Iudæi Christum regem esse, Cæsarem malunt: Deum

Oseæ. 5. negant, hominè eligunt, verù vana salus hominis. Imò quoniam solum Cæsarem nominarunt, omnes alios abijcientes, neminè excipientes, siue Deum, siue hominem, condigna sibi accipiant præmia à Cæsare, nèpe interfectionem & captiuationem gentis, euerfionem ciuitatis, incendiumque & irrecuperabilem ruinam ciuitatis, nec inueniât aliquod auxiliù à Deo vel hominibus, id quod factum videmus. Vide quâta insania sit abijcere Deum. Principes Israël, inquit, reliquistis me, & ego reliqui vos. Discant igitur nunc, quantum distet inter seruire Deo & Cæsari. *Sedente autè eo pro tribunali, misit ad eum vxor sua, dicès: Nihil tibi est iusto huic. Multa enim passa sum in somnis propter ipsum.* Nititur nûc diabolus passionem Christi impedire, quam summis conatibus procurauerat. Videt enim per eam non Christum, sed se perdendum, quod vt citius impediret, accipit familiare sibi instrumentum ad vastandos viros. Sed nimium aborsus est & impegit in aculeum hami. Sicut enim olim Amas impius perijt in patibulo, quod Mardocheus parauerat: sic diabolus crucem Christo præparauit, sed in ea non

Chri-

Christus, verum diabolus perijt. Delens, inquit, Apo-
 stolus, quod aduersum nos erat &c. expolians principa-
 tus &c. traduxit eos &c. *Tunc ergo Pilatus videns quod
 nihil proficeret sed magis tumultus fieret.* Carnali prudentia
 consultus est, ratus si multorum commodo (est enim
 seditio graue incommodum & rerum publicarum in-
 gens iactura) vnus innocentis capite consulat. *Volens
 satisfacere turbæ.* Pilatus habet figuram istorum, qui ta-
 diu in iustitiam perstant, quandiu eis per mundum licet
 & mundi amatores, qui ita iustitia tenere volunt, vt ta-
 men nihil honoris & rerum eis pereat. *Accepta aqua
 lauit manus coram populo, dicens: Innocens sum & sanguine
 iusti huius, vos videritis.* O iudex iudicande, qui non iu-
 dicas egeno & pupillo, sed ad ferulis popelli rumores
 & minas cõtemis: nescis quãta constantiã iudicem
 esse deceat, vt mille mortibus ante se obijciat, quã à re-
 cta iustitiã semita declinet. Sic. n. Sapiens ait: Noli fieri
 iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates &c.
 Quid opus erat culpã in alios detrudere, quã ipse pos-
 ses eruere? Sciebas equidem inuidia traditũ, eratque in
 manu tua, te teste, eũ absolueret & dãnare. Sed is a quo
 tibi potestas tradita est (vt Sapiens ait) ipse interrogabit
 opera tua & cogitationes scrutabitur &c. *Et respondens
 vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super fi-
 lios nostros.* O impios parentes. Vno enim hoc verbo &
 se & totam posteritatem perdiderunt. Hoc est quod su-
 prã prædixit Christus, vt veniat super vos omnis san-
 guis iustus &c. Et in presentem vsque diem hæc impre-
 catio super eos manet, nec auferetur ab eis, donec Chri-
 stum agnoscant. Frustra igitur nunc clamant illud E-
 saie: Vbi est zelus tuus & fortitudo tua? &c. verè enim
 impletur illud: Cũ extenderitis manus, non exaudia,
 quia manus vestræ sanguine plenæ sunt. *Tunc dimisit il-
 lum Barrabam, Iesum autem flagellatum tradidit arbitrio co-
 rum, vt crucifigeretur.* Itaque fremuerunt isti filij homi-
 num, quorum dentes erant arma & sagittæ &c. & lin-
 gua eorũ gladius acutus, quia firmantes sibi sermonem
 nequam, tamdiu perstiterunt, donec traderetur ad cruci-
 figendum. Vides etiam hic quã nihil præsidij ponen-
 dum sit in mundo. Christum hæctenus defenderat Pi-
 latus,

Cor. 2.

Sap. 6.

Esa. 63.

Esa. 1.

Psal. 56.

Psal. 63.

latus, & tamen eū crucifixit. Sic Herodes libenter audiebat Ioannē, & tamen occidit eū. Iniuſtam igitur ſententiā Chriſtus accepit, vt nos à iuſtiſſima damnatione mortis eximeret, & doceret non timere iniuſta iudicia mundi. *Accipiētes autē milites Ieſum, exuerunt eum purpura, & induerunt eū veſtibus ſuis. ad maiorem cōſuſionem: vt ſcilicet vel ex veſte cognosceretur. Abſconditus enim iam erat vultus eius, nō habens ſpeciē neq; decorē. Et baiulans ſibi crucem.* Cogitur Chriſtus ſuā crucem baiulare, quia nemo voluit maledictum tangere. Sic & nunc oēs crucem Chriſti abominamur, fugimus, cū interim plerunq; grauiora feramus in mundo, nullo ſu-

- Chriſtus** Cu. Duplicem autem crucem baiulauit Chriſtus. Primò externā, quæ & maledictio infamis, & pondere moleſta cū eſſet, ſaucijs ipſius humeris imponitur, quæ mirum in modū ipſum iam plus ſatis infirmum premebat. Erat & ſpiritualis crux, quæ mentem pij Ieſu non minus multa amaritudine ab initio vitæ ad exitū vſq; ſine vlla gaudiorum interpolatione premebat & cruciabat. Grauabat præterea talentum plumbi, colligationes impietatis, faſciculi ſpinarū monte quouis ponderoſiores. Hi ſunt peccata noſtra in corpore ſuo, ſuper lignum crucis perlata. Onus illud cœli ſoliditatem, inter medijs mundi ſpatium terreq; ſtabilimentū perumperet, è cœlo ſtellas detraheret, ſubiecta quæq; cōtunderet: pij tamen Ieſu humeris alligatur. Hic igitur obſerua, quod Chriſtus dupliciter nobis crucem prætulit. Primò prætulit nobis crucem miniſterio. crux enim eius noſtra crux eſt, quam ab humeris noſtris ſuſcepit, & in ſuos
- Deut. 21.** tranſtulit. Crucis autē appendix eſt maledictio. Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno. atq; hoc in cruce grauiffimū eſt. Nam tolerabilis fortè eſſet crux dolore, ſed quando accedit maledictio, ea demum extrema miſeria eſt. Proinde cū Chriſtus in humeros ſuos crucē noſtram ſuſcepit, etiam ſuſcepit crucis maledictionem. Factus enim eſt pro nobis execratio, vt nos à maledictio legis liberaret. Noſtra erant crux & maledictio perpetua, ſed vtrunq; nobis prætulit ſuo miniſterio Chriſtus. Deinde crucem etiam prætulit nobis in
- 1. Pet. 1.** exemplum Chriſtus, inquit Petrus, paſſus eſt pro nobis,

his, vobis relinquēs exemplū &c. Hinc Christus ipse: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suā, &c. Omnino ferenda est crux. certa enim fiat sententia: In mundo pressuram habebitis, &c. Sed enim crux ipsa grauior est quā vt sustineri possit, & nos imbecilliores sumus, quā viribus nostris ferre queamus. Quid igitur faciendū? Num abiiciēda crux? Nequaquā, sed inspicienda est Christi crux. Quomodo inquis? En Christus cū sit vnigenitus filius Dei, & summe benedictus, fieri nō potest quin oīa suo attactu benedixerit & sanctificauerit. Quemadmodū. n. caro impura maledicta, peccatis obnoxia, quicquid attingit sibi cōtaminat. impuris enim oīa sunt impura. hinc Adam post peccatū oīa maledicuntur, adeoq; ipse Deus peruersis sit peruersus. huc accedit quod in lege dicitur: Si audire nolueris &c. maledictus eris, &c. Ita ex attactu & vsu superbenedicti filij Dei oīa benedicuntur & sanctificantur, etiā ea, quę per se maledicta sunt. Attigit autē Christus sudorem, sanguineū, esuricm, frigus, crucem, mortem & infernū, sed suo attactu hęc omnia benedicta sunt, vt nō in malum, sed in bonum cedāt. hęc enim est vera benedictio. Proinde curandū vt in cruce nostra ad Christū respiciamus: quod qui fecerit gloriabitur in afflictione, tantū abest vt ferociat, & contra affligentes infaniet. Huius figura præcessit in aqua Marath, quę amara erat, sed iniecto per Moysen ligno, dulcis facta est. Sic crux Christi omnem amaritudinem nostrę crucis aufert. Sic paupertas Christi &c. cōsolatur nostram paupertatem, &c. *Exiuit in eum qui dicitur Caluarie locus, Hebræicē autem Golgatha.* Caluarie locus erat damnatorum, sic dictus à capitibus eorum, qui ibi puniebantur. Golgatha, vel potius gulgoltha Hebræis significat cranium aut testam capitis. O miserabilis exitus. educitur vt præuaricator, qui solus sine peccato erat: educitur vt magnus seductor, latro, blasphemus, inclamatur, illudatur, irridetur, exhibitur. Nusquam maiores rōnchū iuuenesq; senesq;. Et pueri nasum rinocerotis habent, Impletur est illud: Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, &c. Factus sum opprobriū vicinis meis &c. Interim autem nemo solatur. Non sic quinto ante

Matt. 10.

Ioan. 16.

Cruce

Christia

nis feren

da & quō

Gene. 3.

Psal. 17.

Deut. 38

Rom. 5.

Cruce

Christi in

spiciēda

in calami

tibus.

Exod. 15

Psal. 68.

Matt. 21.

antè die exceptus est, tunc vt agnus immolatiuus desiderabatur, hodie mactatur: tunc asina uehebatur, nunc sub onerosa cruce genua labant: tunc comitatus discipulis, hodie latronibus: tunc floribus & vestimentis compita spargebant, hodie per lutulenta aspera & confragrosa festinare compellitur: tunc & pueri ora in laudes resoluiebant, hodie omnia iniurijs, maledictis & cæ. complentur. Sic Abelem maledictus Cain in campum comitabatur. Amarus satis calix Christo erat ex ea vrbe excedere, quam tanti fecerat, vt eam diuitijs, potentia, regno, religione cælo æquasset, ei autè amodo tam corpore, quàm auxilio ob iniquitatem suam se defuturum: vineamque quam plantauit dextera eius, ab apro singularique fera depascendam. Veruntamen nemo tam lubens ad seruitutem Domini pergit, vt ipse in

Heb. 13. Caluarix locum morte multatius properauit. Exeamus & nos extra castra. *Ducebantur & alij duo facinorosi cum eo, vt crucifigerentur. Ducitur inter latrones, quasi antesignanus eorum. Exeuntes autem inuenerunt quendam prætereuntem hominem Cireneum, nomine Simonem, uenientem ex agro, patrem Alexandri & Ruffi.* Disce hic Deum fidelem esse, qui non sinat nos tentari ultra id, quod possumus, & cætera. atque hoc consilio Simon ille obuiam Christo crucem portanti missus est. *Hunc apprehendentes coegerunt, vt tolleret crucem eius, & imposuerunt illi crucem, vt portaret post Iesum.* Non vt Christum beneuolentiæ gratia aliquantulum refocillarent, & onere leuarent, sed vt maioribus supplicijs post fecuturis ipsum reseruarent. Nam quos mundus refocillat & gaudio implet, eos postea maiori dolore afficit, vt Israelitæ initio summo honore ab Aegyptijs excepti sunt, sed quanta afflictio & angustia secuta est postea? Dauid à pascuis uocatus est ad aulam regiam, sed postea mortis periculo coactus in exilium fugit. Adeo mundi huius beneuolentia in maleuolentiam definit. Cæterum quod Simon cogitur, carnis umbram habet, quæ crucem non fert, nisi coacta & spirita Dei mortificata. Deinde Simon figura eorum, qui impij cum sint, mala sustinent. Omnes homines crucem portant, pij & impij: pij secundum beneplacitum Dei volentes, impij secundum iudi-

1. Co. 10. *ut tolleret crucem eius, & imposuerunt illi crucem, vt portaret post Iesum.* Non vt Christum beneuolentiæ gratia aliquantulum refocillarent, & onere leuarent, sed vt maioribus supplicijs post fecuturis ipsum reseruarent. Nam quos mundus refocillat & gaudio implet, eos postea maiori dolore afficit, vt Israelitæ initio summo honore ab Aegyptijs excepti sunt, sed quanta afflictio & angustia secuta est postea? Dauid à pascuis uocatus est ad aulam regiam, sed postea mortis periculo coactus in exilium fugit. Adeo mundi huius beneuolentia in maleuolentiam definit. Cæterum quod Simon cogitur, carnis umbram habet, quæ crucem non fert, nisi coacta & spirita Dei mortificata. Deinde Simon figura eorum, qui impij cum sint, mala sustinent. Omnes homines crucem portant, pij & impij: pij secundum beneplacitum Dei volentes, impij secundum iudi-

Gen. 47. *ut tolleret crucem eius, & imposuerunt illi crucem, vt portaret post Iesum.* Non vt Christum beneuolentiæ gratia aliquantulum refocillarent, & onere leuarent, sed vt maioribus supplicijs post fecuturis ipsum reseruarent. Nam quos mundus refocillat & gaudio implet, eos postea maiori dolore afficit, vt Israelitæ initio summo honore ab Aegyptijs excepti sunt, sed quanta afflictio & angustia secuta est postea? Dauid à pascuis uocatus est ad aulam regiam, sed postea mortis periculo coactus in exilium fugit. Adeo mundi huius beneuolentia in maleuolentiam definit. Cæterum quod Simon cogitur, carnis umbram habet, quæ crucem non fert, nisi coacta & spirita Dei mortificata. Deinde Simon figura eorum, qui impij cum sint, mala sustinent. Omnes homines crucem portant, pij & impij: pij secundum beneplacitum Dei volentes, impij secundum iudi-

Exod. 1. *ut tolleret crucem eius, & imposuerunt illi crucem, vt portaret post Iesum.* Non vt Christum beneuolentiæ gratia aliquantulum refocillarent, & onere leuarent, sed vt maioribus supplicijs post fecuturis ipsum reseruarent. Nam quos mundus refocillat & gaudio implet, eos postea maiori dolore afficit, vt Israelitæ initio summo honore ab Aegyptijs excepti sunt, sed quanta afflictio & angustia secuta est postea? Dauid à pascuis uocatus est ad aulam regiam, sed postea mortis periculo coactus in exilium fugit. Adeo mundi huius beneuolentia in maleuolentiam definit. Cæterum quod Simon cogitur, carnis umbram habet, quæ crucem non fert, nisi coacta & spirita Dei mortificata. Deinde Simon figura eorum, qui impij cum sint, mala sustinent. Omnes homines crucem portant, pij & impij: pij secundum beneplacitum Dei volentes, impij secundum iudi-

iudicium Dei nolentes. quorum formam habet hic Simon. hinc Paulus: Scientes eam quæ in mundo est afflictionem vobis fieri &cæ. Præterea Simon crucem quidem portans, sed non in ea moriens, eos significat qui crucem quidem ad tempus Christo ferunt, sed non perseverant. *Sequebatur autem cum multa turba.* non tamen eodem animo. *Et mulieres quæ plangebant & lamentabantur eum.* Cōuersus autem ad illas dixit: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flere & super filios vestros.* Docet hoc loco nos ipsos plangere in Christo: non enim propter Christum flere debemus, sed propter nostram infirmitatem & peccata, quæ tanta fuerunt, ut Christum ad crucem adigerent, qui tamen filius Dei erat & est. Deinde docet occasionem fletus non esse mala præsentia, quæ momentanea sunt, sed mala futura, quæ æterna sunt. Ideo subdit: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beate steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient montibus dicere, cadite super nos & collibus, operite nos.* Prædicat hæc de captiuitate Iudaica per Romanos, sicut & in Luca fecerat, dum super ciuitatem fletet. Iudicij autem admonet eos qui præsentem gratiam nedum non accipiunt, sed persequuntur. Deniq; in ipsa etiam sua cruce aliorum futura mala deplorat. *Quòd si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Hoc est, Si ego qui peccatum non feci, & lignum vitæ appellatus sum, tanta pro alienis peccatis sustineo, quid patientur impij pro suis? Si à nobis incipit iudicium Dei, quis finis eorum qui non credunt? *Et ducunt eum in locum Caluarie. Et ibi dederunt ei bibere mirrathum vinum cum felle mixtum.* O crudelem impietatem, quæ nihil omnino consolationis & misericordie præstat afflictis. Laborauerat Dominus per totam noctem, interque tam foeda sputa, & violenta verbera tantum non spiritum exhalauerat: nunc autem cum exhaustis viribus & totus aridus eò loci venisset, vbi mori volebat, vinum quod mœrentibus, & his qui amaro sunt animo, à fidelibus & pijs præstatur, flagitiosi nebulones epotauerant, in cuius locum myrrhatum vinum Christo supponunt, ut impleatur illud: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea &cæ.* Psal. 68.

Luc. 19:

1. Pet. 4:

Psal. 68.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

Merito igitur potuit dicere Christus: Vineam meam cle-
 eta, quomodo versa es in amaritudinem? Et popule
 meus quid feci tibi? Ego te paui manna, & car. *Et cum*
gustasset, noluit bibere. Quod Christus acetum gustat, &
 bibere recusat, significat Christum persuadere voluisse,
 mortem propter se salutarem esse nobis, ut enim medi-

Heb. 2.

Osc. 13

1. Co. 15.

Psal. 31.

Joan. 20

Luc. 24.

Psal. 22.

cus pharmacum prægustans, a groto ut accipiat per-
 suadet: sic Christus mortem degustavit: ut nos alacrius
 illam adeamus. Sic Paulus: Cernimus Iesum propter
 cruciatum mortis, gloria & honore coronatum, ut
 per gratiam Dei pro omnibus gustaret mortem. Huc
 pertinet illud: De manu mortis liberabo eos. Ero
 mors tua o mors. Item: Absorpta est mors in victoria.

Et crucifixerunt eum. Breuiter Euangelista crucifixio-
 nem describit, sed multa memoranda relinquunt.
 Crucifixionem igitur præcessit iterata expoliatio &
 denudatio. Nudatur igitur qui cælos stellis, terram floribus
 vestit: & qualis in paradiso primus homo habi-
 tauit, talis in paradysum secundus homo intrauit. Ex-
 poliari se permisit, ut vestem nobis innocentie recu-
 peraret: coram omnibus nudari non horruit, ne nos
 nudi coram Deo inueniremur: confusionem sustinuit,

ut conscientie nostre reatum teget. Beatus enim
 cuius tecta sunt peccata, & car. Deinde, *Crucifixerunt,*

inquit, *eum:* In Ioanne legimus, Thomam dixisse: Nisi
 videro in manibus eius fixuram clauorum, & car. Idem
 dicit Christus in Luca: Videte manus meas, & car. Et in

Psalmo: Foderunt manus meas, & car. E quibus patet
 Christum clavis cruci affixum, quod Euangelista hoc

loco tacent. Hactenus igitur Dominus Iesus in carne
 passus est & anima. Nunc venit ad extremum & infi-

mam medullam & summum dolorum: nunc nerui ossaque
 examinantur, qui dolor est vehementissimus, maxi-

mè in manibus & pedibus, vbi nerui & ossa ita conue-

niunt, ut non nisi magna vi & intentissimo dolore se-

ungi possint. Verùm cum nihil sanitatis esset in homi-

ne a planta pedis vsque ad verticem, interne & exte-

rne, oportebat, ut & Christus homini medicaturus,
 omnibus pœnis obijceretur. Extendit igitur brachia
 ad indicandum, quod omnia hæc voluntarie & ex
 summa

Summa charitate sustinebat. Pedes etiam fodicari permisit, vt ostenderet se non cessaturum, donec plene satisfactum esset. Totum denique corpus offert in holocaustum, vt patrem nobis reconciliaret, nosq; doceret omnia membra offerre in obsequium Christi. Denique sicut ex paradiso quatuor flumina profluunt irrigantia vniuersam terram: sic è quatuor locis corporis sui, fontes sanguinis sacri aperuit, vt abunde esset quo immundi se lauarent. Quid amplius debuit facere, & non fecit? Vide igitur primum & à seculo inauditum, nec visum spectaculum. Manus quæ cœclum in sapientia fundauerunt, quæ compedibus soluere, elisos erigere, suisque tractibus vniuersos solebant sanare, in crucis patibulo distenduntur. Pedes, quibus se mare calcabile præbuit, quorum scabellum adorandum erat; pedes, inquam, qui non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege Domini, & ad crucifixorum suorum salutem semper directi fuerunt, clauorum acumine perfodiuntur. Corpus purissimum, in quo thesaurus totius gratiæ seruatur absconditus, penitus denudatur, & durissimo ligno affigitur. Facies speciosa præ filijs hominû, quæ pupillos & mœrètes omnes cõsolabatur: facies, in quâ angeli desiderant prospicere in pallorè horridæ mortis cõmutatur. Quid cõmisisti dulcissime puer, vt adeo crudeliter tractareris? Quæ culpa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tui doloris? Certe ego sum causa omnium malorum &c. Ego vnam acerbam comedi, & dētes tui obstupuerunt. Imò etiam nūc miser ego rideo, garrivus; dū tu pro me ploras, litis, arefcis: id est festino ad gaudia, dū tu pro me affixus cruci pēdes. Caput vngo, adultero cutem; dum tu sputis, sanguine, luore illitus, quasi ignotus pendes. Manibus etiam nūc impiè ago, quasi non plus satis peccatum sit, dū interim tuæ manus pro me in ligno configuntur. O ingratiitudinem nullo non supplicio dignam. Siccine gratias agimus? Quâ meritò nos à peccatis abstertere deberet hæc Christi crucifixio? Confixus Dñs cruci, in altū sustollitur, tanquam verus mediator Dei & hominû, vt summus etiam sacerdos seipsum pro nobis oblaturus, dicēs illud: Sacrificiū & oblationem noluisti, nūc igitur ecce

Rom. 12.

Psal. 39.

Liii a

venio:

venio. In capite libri scriptum est de me, & car. Respice igitur sancte pater de sanctuario tuo, & de excelsso celorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pötifex noster, & esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri clamat ad te de cruce. Ecce agnus sine macula, qui coram tondente se obmutuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi vsque ad mortem obediens factus est: nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum eius: vt memneris quæm satisfactionem pro peccatis nostris ab eo receperis. Respice pater pijsissime, eum qui patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Aspice mitissime conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Aspice gratissimæ proli lacerata membra, & memorare quæ mea substantia. Aspice Dei & hominis prenam, & releua hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & remitte redempti delictum. Sed & tu miser peccator vide hostiam, qua redemptus es: sanguinem quo ablutus es: pœnam qua pro peccatis tuis satis factum est: vincula, quibus absolutus es. Vide manus quæ soluerunt mala opera, quæ tu fecisti: vide pedes, qui quod pedes tui deliquerunt, abstulerunt: intuere Christum in hac forma crucifixum, nusquam enim amabilior eius conspectus est. Manus habet apertas ad largiendum, pedes affixos ad manendum, brachia extensa ad suscipiendum, caput inclinatum ad osculandum. Caue igitur ne tibi exprobetur illud: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem. Item: Extendi manus meas, & non erant qui respiceret. Vide homo quid pro te patior, ad te clamo qui pro te morior: vide pœnas quibus conficior, clauos quibus confodior, &c. *Et crucifixerunt cum eo duos alios latrones, vnum a dextris, & vnum a sinistris, medium autem Iesum.* Ita ergo impleta est scriptura: Et cum iniquis reputatus est. Imò & tanquam sceleratorum maximus in medio crucifixus est; descendit enim Christus in extremas immundicias, vt eas mundaret & san-

Et si ca:

Gen. 4.

Prou. 1.

afficeret: cum iniquissimis reputatus est, vt ex iniquis
 iustos faceret. Atq; hac descensione, qua Christus se de-
 misit ad extremas abominaciones, ascendit in altissimā
 gloriā, habet enim Christus aliā scalam, quā mundus,
 qua ad alta scanditur. Mundus nititur ad alta altē scan-
 dendo, sed quō altius tollitur, eō humilius deiecitur:
 Christus autē ad alta nititur in infima descendēdo. Cō-
 grūē autē Christus inter latrones crucifigitur, quia pro
 latronibus patitur. Latro est, qui quæ ad Deū pertinent
 rapit: omnes igitur latrones sumus. In medio nostrum
 Christus crucifigitur. crucifigimur & nos. nemo enim
 sine cruce. Verū sicut hic latronum alter dānatur, nō
 oēs saluatur, qui crucē ferūt. Vide igitur vt tua crux
 cedat tibi ad salutem, quod fit, dū in Christū credis, eiq;
 fide & charitate adhæres. *Scriptis autē est titulū Pilatus.*
 Titulus, literæ condēnationis sunt, in quibus summa fa-
 ctōrū condēnati comprehenditur. *Et posuit super ca-
 put eius. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudæo-
 rum.* Titulus hic satis creber est in parietibus, sed à pau-
 cis intellectus. Iudæus interpretatur confitens, qui sci-
 licet confiteretur Christū assertorem suum, Iesum adiu-
 torem suū esse, per Iesum omnia accepisse & accipere.
 Talem Iudæorum rex est Iesus. Iā si te aliqua afflictio
 infortunū aliquod sollicitat, cogita Iesum esse vindic-
 cem tuam, & non deerit quo te consolēris. Si peccator
 es, cogita Iesum esse illū, qui saluum fecit populū suum
 a peccatis eorum, & animū recipies. Hic autem vide
 quomodo Deus etiam impiorum conatus ad suam glo-
 riam vertat. Non cogitabar quidem Pilatus hoc titulo
 Christum honestare & glorificare, sed quodammodo
 seipsum excusare de iniusta nece Christi. Sperabat enim
 hoc titulo manifestius futurum, & clarius Cæsari
 annunciandum, se pro fide eius occidisse hominē, quē
 multa gentis illius turba cum ramis palmarum exci-
 piens, regis illi laudes acclamauerat. At verō spiritus
 S. bene vtens maligni scriptoris manu titulum hunc
 condidit, summam Christi laudem continentem, qui
 & cælo & terra trāseuntibus manebit, quia Iesus Chri-
 stus verē sanctus & saluator, per suam crucem rex Iu-
 dæorum effectus est, & permanebit in æternum E-

Matth. 27

erat scriptum literis hebraicis, & grecis & latinis. Vide etiam hic mirabile ingenium Dei. Linguarum omnium præcipua tres sunt, per quas hodie sancta scriptura per totum mundum celebrata: testificatur verum hunc esse titulum, id est, Iesum verè esse regem Iudæorum. has autem linguas in hoc titulo collegit spiritus Sanctus. Præterea vides hic, quòd ad opera sua complenda Deus abiectissima instrumenta arripit: Euangelium erat spargendū in oēs gentes. Hebræos, grecos & latinos. Hoc mysteriū primus literis describit Pilatus, primus Christi Apostolus factus: quemadmodū & latro illi dexter, primus martyr. Et miles, qui dicebat: Verè filius Dei erat, primus cōfessor factus est. Usque adeò stulta sunt Dei opera, vt mundi sapientes confundantur. Hunc ergo titulum multi legunt Iudæorum, quia prope ciuitatē erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Dicebant ergo Pilato Pontifex Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Nihil omittunt, quod ad honoris eius denigrationē facit. Compræhēderant vt latronem, vincerant vt scelere damnatū, postulauerant à iudice ad mortem, vt accusatione indignum, latroni ipsum prætulerant, crucem propriam baiulare coegerant: in latronum medio loco ignominioso, tempore sacratissimo coram maxima hominum multitudine, nudum suspenderant. sic & nunc tituli honorem impedire conantur. Sed confusa est iniquitas eorum, non præualuerunt. Frustra pro delendo titulo discurrerūt, frustra indignantur: quo magis autoritatem eius deprimunt, eo cumulator surgit: pro honore enim quem extinguerē cupiebant, sedet ad dexteram patris, potestatem habens in cælo & terra. Constituitur iudex viuorum & mortuorum. Denique & in omni terra agnoscitur Rex Iudæorum. Congruè igitur & ex spiritu S. instinctu, dixit eis Pilatus: *quod scripsi scripsi*. Quantum cumque enim in diuersum conentur impij, tū Christus rex manebit in æternū. Hæc est consolatio nostra, quam ne inferorū quidē portæ labefactare queunt. Semel, inquit, iuravi in sancto meo: si Dauid mentiar, & c. Milites ergo cū crucifixissent eum, acceperunt vestimētia eius, & fecerūt quatuor partes: vnicuique militi partē & tunicā. Erat au-

Psal. 88.

tem hec tunica inconsutilis à summo contexta per totum. Di-
 xerunt ergo inter se: Non scindamus eam, sed fortiamur de il-
 la, cuius sit, vt scriptura impleretur, qua dicit: Partiti sunt
 vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.
 Adedò tanquam reus & peccator proscriptus est Do-
 minus, vt nec vestimenta sua charis suis pro magno
 seruaturis thesauro cederent, sed in corpore suo satu-
 ratus opprobrijs, sua quoque vestimenta in mercedem
 cedere vidit suis intersectoribus. Quæ omnia facta
 sunt, partim vt scriptura impleretur, partim ad signifi-
 cationem futurorum. Primò enim vestimenta Chri-
 sti, scripturas sacras significant, quas hæretico-
 rum temeritas in varios sensus distraxerit: impij
 enim homines sumunt ex scripturis, quod ipsis commo-
 dum videtur, volentes veritatem Dei tenere per par-
 tes, quod fieri non potest, sicut Sathan citauit scrip-
 turas Christo: tamen fidem Christi vel Catholicam eius
 Ecclesiam scindere non potuerunt. Plura namque Do-
 mini vestimenta, multa scripturarum, quibus vnum Dei
 verbum indutum est, significant volumina. Tunica au-
 tem inconsutilis, vnam, integram & inuolabilem fidem
 catholicam congruè designat, quam milites illi hære-
 tici scindere quidem & abolere non potuerunt, tamen
 de ea fertiuntur. Non enim hæretici Euangelium &
 fidem negant, sed ita mortuarijs glossematis obscurant
 & ludunt cum scriptura, vt Christum ex illa cognos-
 cere non queas. Secundo, vestimenta Christi pij homi-
 nes sunt, qui Christo adherent iuxta illud: Sicut adhe-
 ret lumbare viro, sic agglutinavi mihi omnem domum
 Israel. In partitione, igitur vestimentorum Christi, ad-
 umbratum est mundi ingenium, quo pios tractat in
 hoc sæculo. Nam videntur pij in hoc sæculo plane li-
 bidini impiorum parere, sed interim tunica Christi non
 scinditur: hoc est, pij à mundo quidem irridentur &
 distrahuntur, sed non perduntur. Postmodò milites illi
 qui ipsum quidem Christum contemnunt, vestimenta
 autem eius sibi vsurpare pro viribus student, impios il-
 los Pontifices adumbrant, qui verè milites, non Ponti-
 fices sunt, omisis enim sacris libris scrutandis, interpre-
 tandis, exponendis: omisis orationibus & operibus

Hier. 136.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

pietatis, omiffa cura animarum, nihil aliud agunt quàm quòd pro tuèda opulètia & fupèrfluiffima poffeffione rerum belligerantur, fundunt fanguinem, omnia cædibus bellisq; mifcèt: tum verò Ecclefias & beneficia, quæ verbi prædicatoribus debètur, inter fe partiuntur: vt iam non vniciq; pars vna, fed duo, tria, decem, &c. beneficia contingant. Deinde fortiuntur, hoc eft, permutant, vendunt, propinquis difponunt, aliaq; inſanita portenta faciunt, in fubuerfionem legum, iuftitiæ, Euangelij, & omnis honefti. *Et milites quidem hæc fecerunt.* Pulchrè fatis Euangelica facta impiorum terminat. Hæc, inquit, milites fecerunt, fubauditur, Et quid amplius facerent non habuerunt: corpus crucifixerunt, prædam tulerunt: fed fortitudinem Dei, verbum Dei, verum Deum cum anima fua occidere non potuerunt. *Ei ſtabat populus ſpectans. Qui autem præteribant conuicia iaciebant in eum, mouentes capita fua, & dicentes: Fab qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus extruis illud, ferua temetipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes inter feſe cū ſcribis & ſenioribus & populo, dicebāt: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſeruare. Si hic eſt ille Chriſtus rex Iſrael, ille Dei electus, deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Conſidit in Deo, liberet eum nunc ſi vult. dixit enim filius Dei ſum.* Quæ amplius ſputis & alaphis cõtingere nõ valèt, conuitijs incefſant. Nihil enim non agit mundus, quòd ad pœnam faciat electus. Non enim ſunt de mundo, ideo odit eos mundus. Hæc autè conuicia in Chriſtum dixerunt, non ſolùm vt omnem famam, doctrinam, authoritatem, miracula maculent, fed radicitus de corde & memoria hominum euellerent, & econtra intimè eis imprimerent hanc Chriſti infirmitatem, quali dicant: Quàm videtis omnes populi, quòd ſeducor fuit manifeſtus, quia ſeipſum non poteſt ſeruare, quanto minus vos? Nam ergo nobis credite: nõ ei qui iã in ligno pender, quod fieri nõ potuiſſet, niſi à Deo eſſet maledictus: quia maledictus omnis, qui pender in ligno, ideo non poteſt confidere in Deo, nec eum liberabit. Sic igitur ſe putant omnia miracula eius in nihilum redegiſſe, vt nullus de cætero auderet vel leuiter eorum

Ioh. 25.

meminisse. Hoc enim intentissimo corde cupierunt,
 & ut hoc heret tam immaniter fuit eis sc̄uendum. De
 huiusmodi irrisionibus in multis Psalms dictum est.
 Multi, inquit, dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in
 Deo eius. Item: Tentauerunt me, subsannauerunt me Psal. 3. 4
 subsannatione, & cę. Dixerunt: Euge euge, viderunt o- Psal. 34.
 culi nostri, sc̄ilicet quod factum est, quod volumus,
 quod placet, quod quærebamus. Sic Iob: Nunc deri- Iob. 30.
 dent me iuniores tempore. Sicut autem Christus pro-
 pter infirmitatem contemnitur, sic Euangelium: quia
 verbum crucis est mundanis stultitia, &c. Obserua aut,
 quod in hac Christi illusiõe quinq; genera tentationũ 1. Cor. 1.
 indicantur, quæ pios & maximè morituros oppugnat.
 Primò enim sicut Christus cruci affixus nudus coram
 omnibus pendet: sic prima tentatio morituri est igno-
 miniam totius vitæ à nobis actæ omnibus creaturis vi-
 deri. Secundò, sicut Christum non vnus aut alter deri-
 dit, sed plures: sic secunda tentatio piorum est, quod
 oēs creaturæ vitæ nostræ fabulâ derident. Tertiò, sicut
 cõtra Christũ capita mouët & eludere nitũtur quæ ipse
 dixerat: sic tertia piorũ tẽtatio est, quãdo patientissimis
 sacre scripturę dictis terrẽtur, veluti sunt: De omni ver-
 bo ociofo redditori sunt rationẽ homines. Item: Deus Matt. 12.
 peccatores non audit. Quartò, cũm dicũt, *Liberet eum*
si vult. Eum, magnam habet emphasim. Quis enim du- Ioh. 9.
 bitat Deum posse, nosse, velle saluum facere? Dubium
 certè non est Deum posse saluare, sed an eum velit sal-
 uare, hoc diabolus in dubium reuocat: maximè si ho-
 mo inter malos versatur, sicut Christus inter latrones.
 Quarta igitur tentatio est cũm diabolus hominem quã-
 tumuis nitentem Euangelio, in dubitationẽ adducit, vt
 quamuis credat Christum esse iustitiam nostram, tamẽ
 dubitet an sua quoq; iustitia velit esse. Postremò, sicut
 Christo dicitur: Si filius Dei es, &c. sic maxima moriẽ-
 tium tentatio est prædestinatio, Vt igitur in his tenta-
 tionibus superiores euadamus, oportet ad omnia exem-
 plo Christi obsurdescere. Sic tres illi pueri, cũm rex Dan. 3.
 impius dixisset: Quis est Deus, qui vos eripiat? Dixe-
 runt: Non oportet nos de hac re respondere tibi, &c. et.
 Sic oportet vt homo omnem rem Deo committat, an Prou. 25
 destina-

ut neminem tantum passionis sermonisque lateret mysterium. Ad hanc igitur concionem properè festinemus, & stantes sub suggesto crucis aures arriamus; cōpunctoque in pectore aurea verba conferamus. **Christiani sumus, quò rectius ibimus, quàm ad præceptorum verba vitæ habentem? Cui iustitias astamus, quàm Domino & amico Christo in cruce pendenti? Scire Christum & hunc crucifixum nostra sit sublimior philosophia, ibi iustitia perfectio, scientiarum vberitas, sapientiæ veritas, ibi nostræ diuitiæ, merita, salus, vita & resurrectio nostra consistit, qua vna in re Paulus gloriari audebat. Audite igitur flagrantissimo pectore, fauentissimis auribus, lachrymasq; rorantibus oculis, quæ audissimè hausisse nunquam pœnitebit. *Ad primum verbum.* Cùm igitur Dominus Iesus vera iam hostia factus esset & ià peruentū esset ad opus salutis nostræ implendū, quāuis indicibilibus angustiis premeretur, memor tamen quare talia pateretur, quia scilicet propter nos, idcirco omnium dolorum & pœnarum oblitus, paternæ iræ precibus occurrit, officium suum orditur, incipit esse sacerdos, mediator Dei & hominum, interpellator propugnatorque efficitur pro nobis, & se iam totum opponit murum inuincibilem paternæ iræ. Audi igitur quomodo pro nobis stet & oret, seque medium ingerat inter Deum punientem & nos peccatores. *Pater remitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sensus huius verbi latius prosequar, qui talis est: Filius ego tuus, ô pater, ex vtero substantiæ tuæ ante Luciferum genitus, honoris tui religiosus obseruator, mādati strenuus executor, licet vti sceleratissimorū omnium princeps, nominisq; tui amplissimi & blasphemator & hostis hic pendeam: inter tot tamē calamitates, cruciatus, tormenta, mortes, nec iniuriæ ciuium memor, nec officij mei inmemor esse possum: inter iustissimam iram tuam & grauissimam hominis scelera se opponere meum est: hominē manū nostrarū opus, vas contractū, ouem erraticā & captiuā solidare, reducere, redimere mihi incumbit: pacificare quæ in cœlis & quæ in terris mihi mandatū est, tuo equidē imperio & nutu à te exij, veniq; in mundū & mediator, pacifer, & sacerdos, exorator**

Ioan. 6.

Gal. 9.

Psa. 109.

tor

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTHE.

tor cōstitutus. Nec immeritō, nam duarum naturarum particeps tecum vnus æqualisq̃ue Deus, cum hominibus pariter verus homo, dignissimus sum mediator, qui inter vtrunque manus ponere possum, attingens diuinitate principium & omnium primum, attingens & mortalitate vltimum, idipsum figementum nostrum hominem: vnde nec gratiam desideranti homini alienus, ne gratiarum datore minor & impar sum dignissimus præterea sacerdos & Pontifex sanctus, innocens, impollutus, &c. qui non rapui, & tamen exoluo cui nullo pro reconciliandis fratribus regressū opus est. Nemo aduersus me aliquid habet, nec tu pater, nec qui me crucifigunt fratres: nullo alieno ære grauatus, liber à debitis sum, nec precium nec sacrificium mihi necessarium. In sancta itaque ingrediens, auream gerens accerram charitatis, plurimaq̃; orationum incensa ferēs, pro alijs meipsum sanguinis precium dinumero, pro populo meipsum immaculatum sacrificium & sacerdotem offero. Certus quidem sum hoc meo holocaustomate ante conspectum tuum nihil sanctius, nihil probatius, nihil felicius ascendisse vnquam. Proinde, o Pater, conscius ego misericordiarū tuarum, quæ sunt super omnia opera tua, inter illa ipsa sacrificia cū lachrymis, clamoreque valido occurro, in fide nihil hæsitans postulo, ignosce populo tuo, parce populo tuo, dele hoc sanguine meo iniquitatem populi tui. Fateor (quod ipse fateri nolebant) peccauit Adam, omnisq̃ue posteritas eius abominabilis, & ab adolescentia in malum procliuior facta: multiplicata sunt mala super terram, refrigeretq̃; olim charitas & superabundabit iniquitas. Iam quoq̃; populus non ex omnibus gentibus delectus peccatū grande & maximum peccat, quū me tuum vnicum tantis examinat tormentis, & an tuus sim probaturus floccipendit: cui vni flagitio si cætera singula cōferantur, minutula profectō censenda sunt. Quanta enim tua maiestas, quæ despicitur? quæ mea dignitas quæ sic illuditur? Vtrunque ille populus, qui non est populus spernit, peccatisq̃; patrū horrenda superaddit peccata. Fateor, iustè sœuit ira tua, iustè vnus Adam malo cœlum clausum, fauces inferni aperta, mors in orbem intravit.

travit,

trauit. Iustè in vltionem peccatorum cœlos elementa-
 que armasti. iustè viuos alios ignis è cœlo exussit. iu-
 stè alios aëris intemperies & pestilias exanimauit. iu-
 stè alios incremento fluctuoso aqua extinxit. iustè alios
 terra patefacto hiatu exterminauit. Iustus es tu & re-
 ctum iudicium tuum. Iustè nec vnquam parceres, nisi
 ad nouissimum quadrantem pro piaculo satisfaceret.
 Hactenus mortales omnes si sanguinem suum omnem
 prodigalissimè adhuc profunderent: si pœnas, sup-
 plicia, gehennasque omnes adhuc expenderent, no-
 xam vnã non expiassent. Tanta sceleris nephandi
 grauitas est & atrocitas, vt nemo satisfacere posset, nisi
 Deus: nemo deberet, nisi qui peccauerat homo. Ego
 sum, ego Deus, ego homo, in me vno tota salus homi-
 nis pendet. Ea re exul in terra aliena tactus sum, labora-
 ui frigore, æstu, fame, siti, nuditate, vigilijs, lassitudine,
 tentatus, angustiat, afflicus. Quos dolores, quæ tor-
 menta non accepi in tenello hoc corpore? Quas angus-
 tias? quos mœrores, quas turbulentias non expertus
 sum? Quis vnquam dolor huic meo similis, quã à plan-
 ta mea ad verticem vsque nulla sit in me sanitas. Quid
 igitur restat, ô Pater, cum tam abundè satisfacio, nisi
 vt iram ponas, dimittas illis, miserearis, gratiarû fluen-
 ta effundas. Te vt patrem non vt iudicem inuoco, vt di-
 mittas oro, non vt vindices: nec enim vindictam de
 terra, vt sanguis ille Abelis, ita & sanguis meus clamat:
 nisi fortè quis suã ipsius saluti consulere noluerit. Ig-
 noui ego, qui iam crucior, in quo sola faba cuditur, ig-
 nosce & tu. Ignoui ego, quem offenderunt: quum enim
 sapientia tua sim. quia per ignorantiam peccauerunt in
 me, & ignosce & tu. Ignoui ego, & oro pro eis, tu ig-
 nosce modò: ignosce illis, quibus vt ignosceres me mi-
 sisti: ignosce tuis, quibus te miserrurum à seculo pro-
 misisti: quos & olim vocabis & sanctificabis. Ex his
 sunt qui me crucifixerunt, non solum Palæstini illi mi-
 lites & Iudæi, cæteri quæ; astantes, sed & Rom. & ex qua-
 tuor orbis partibus, qui nondum ex hoc ouili sunt, sed
 mox adducendi. Crucifigit me Adam, qui in paradiso
 peccauit: crucifigit Dauides qui in Hierusalem: cruci-
 figit me omnis homo quia omnis peccator. Pro omni-
 bus

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTHE.

bus patior, pro omnibus sacrificium immolor, ignosce omnibus. Siquidem ex mea morte constat, quod non mortem peccatorum volumus, sed ut conuertantur & uiuant. Singulari autem quodam charitatis ordine pro fratribus illis meis simpliciusculis, quorum me gentilem esse uoluisti, obsecro, dimitte illis noxam hanc grauissimam. Facinus excusare nequeo, peccauerunt, fateor peccatum maximum, sed animum non fuisse iniquissimum allego. Nesciunt quid faciunt. Nunquid gentem ignorantem perdes? Adimplerunt quod in Leuitico mandasti: Si omnis Israël per ignorantiam peccauerit, offerat pro peccato vitulum. Ecce me obtulerunt tibi in uitalis, quam in alijs sacrificijs signatum. Cæci ipsi & ingrati modò non uident quid faciant, sed mox uidebunt in quem transfixerunt, nesciunt quis sim, nesciunt quòd filius tuus. Nostro permittu, nostro consilio tanta diuinitatis humanitatisq; meæ mysteria diabolus ab eis abscondit: ignosce igitur illis, quia nesciunt quid faciunt. Nec minus & alijs ignosce, qui & ipsi nesciunt quid faciunt: errauerunt. n. omnes qui operantur iniquitatem. quippe qui in Adamo superbe nostram appetierunt scientiam, iuste in pecuinam inciderunt inficitiam. Quia itaque nesciunt, concede ut ex hac cathedra uertim docere & illustrare eos ualeam. Amòdo lux doctrinæ meæ cæcos illuminans oculos, per uniuersum mundum radiabit, tuque per omnia in me & ego in te glorificabor, sanctificabiturque nomen nostrum. Nesciunt iam quid faciant, sed mox scient quam deliquerint. Respice ergo in sacrificium pueri tui iusti Abel, quod summus ego sacerdos offero, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam: respice simplicitatem, ignorantiamque plasmatis nostri, tam miserabiliter & fraudulentè à serpente seducti, proque immensa misericordia tua in gratiam & beneuolentiam tuam elementè conciliatam restitue. Ego mortem mea morte uincam, tartareas domos vastabo, spolijs optimis gloriosissima oratione ad te redeam & sanguine meo cæcos reserabo. Dimitte ergo illis; o Pater, quia nesciunt quid faciunt. Vides quam uerè dictum sit: Et pro transgressibus orauit. En, hoc est primum uerbum Christi in cru-

ee quem orantem pro reuerentia sua exauditum nemo
 ambigit. Ad hanc enim orationem pertinet quod Pau- Esa. 53. 3
 lus ait: Eram blasphemus & persecutus, sed misericor-
 diam consecutus sum, quia ignorans feci, &cæt. Sed di-
 cit: Si Christus exauditus est, cur non omnes persecu-
 tores eius saluati sunt? Audi, impetrauit certò, sed pro
 his, qui fide orationis eius participes facti sunt, nõ pro
 his qui in infidelitat: perdurarunt. Distribuit autè Do-
 minus fidè prout vult. Miserebor, inquit, cui voluero,
 &c. Nec est quòd hac parte Dominum accusemus, qui
 hunc per fidem faciat orationis Christi participem, al-
 terum per infidelitatem obduret. nam quòd aliquibus
 pro sua voluntate fidem distribuat, gratia & misericor-
 dia est, non debitum: quòd vero aliquos obduret, iudi-
 cium Dei rectum & genuinum obduratorum meritum
 est. Proinde si quem Dominus liberauerit, gratias agat,
 non contendat cur non & alios liberet. Ex hoc igitur
 primo verbo discamus agnoscere peccata nostra, nos e-
 nim sumus primi & veri auctores necis Christi, & nos
 omnes intelligit, quum dicit: Dimitte illis, &cæt. Mili-
 tes enim illi erant nostri, imò peccatorum nostrorum
 ministri, qui hoc ei irrogarunt, quod peccata nostra me-
 ruerunt. Quis autem sciuit aut etiam nunc cogitat,
 quòd peccata sua crucifigerent filium Dei? id quod ta-
 mè Paulus apertè affirmat. Sed & hoc nescimus, quàm Heb. 6.
 magnus sit qui offenditur, quàm graue sit peccatum, &
 quo ad offensionem, & quo ad damnationem. Hæc quia
 abscondita sunt & ab oculis, verè nescimus quid faci-
 mus. Ex hoc igitur verbo primò discimus, quòd nõs si-
 mus crucifixoies Dei & ignorantes. Secundò, ex hoc
 verbo confortemus & fidem nostram. Si enim Chri-
 stus tam ardentè orauit pro crucifixoribus, quanto
 magis pro se inuocantibus, & in eum credentibus?
 Sitam promptè remisit peccatum in propriam perso-
 nam, multò faciliùs nobis remittet. Secure igitur nunc
 accedimus, tantum patronum habentes. Nunc effu-
 gere licet iram Dei, nunc habitare in protectione Dei
 cæli: Deus. n. noster refugium & virtus, &c. Sic Apo-
 stolus: Salui erimus ab ira per ipsum. Tertio, discamus
 etiam ex hoc verbo veram charitatem, tum vt proximi- Psal. 43.
 morum

morum commodis inseruiamus, sicut Christus nobis seruiuit: tū vt dimittamus & nos debitoribus nostris, Audiant hoc verbum Christi, qui semel exasperati tam obdure corde ferociunt, vt perpetuo liuore tabescere malint, quā cum offensoribus in gratiam redire: cum ipsi interim innumeris peccatis Deum offendere non cessant, & tamen veniam sperare audent. Lege Ecclesiasticum & cetera. Demum etiam ex hoc verbo videmus quantum malorum secum vehat ignorantia, quamque fugienda sit, Est enim mater errorum, scandalorum magistra, scelerum alumna, quæ verecundiam, timorem & omnia virtutis concitabula eliminat, suosque in luteas vitiorum foueas præcipitat: præcipitatos ne auxilium rogent elinguat & detinet: detentos æternis tenebris & morti præsentat, quæ Iudæos in maximum id scelus induxit, vt Christum crucifigerent filium Dei. Sequitur: *Vnus autem de his qui pendebant latronibus, conuicia dicebat in Iesum, dicens: Si tu es Christus serua te metipsum & nos.* Impiorum omnium figuram gerit hic latro, qui tamen videant Christum iuxta se pendere, tamen sub cruce murmurant, imò blasphemant, nec eos mouet exemplum Christi patienter omnia sustinentis, sed frustra insaniunt, non liberantur, sed in desperatione sine vlla consolatione moriuntur. Respondens alter increpabat eum, dicens: *Ne tu quidem times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste, nam dignis factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.* Et hic latro piorum figuram habet, qui & patienter sufferunt quaque, suisque peccatis deputant, aliosque blasphemantes ad sanam mentem reducere studet. Obserua igitur hic quod crux Christi non solum tormentum iudicari, sed iudicantis quoque quasi quoddam tribunal fuit: alterum namque latronum misericorditer assumpsit, alterum iuste reliquit. Sic & nunc crux Christi alijs offensiculo est, alijs saluti. Sicut igitur in principio passionis exemplum & misericordiæ & iudicij habuimus in muliere vngente & Iudæis: sic aliud exemplum hic in fine habemus in duobus latronibus. vtroque enim Domino cantamus misericordiam & iudicium & cetera. *Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei & cetera.* En inter ipsa sermonis in initia

Ecc. 28.
Ignoran-
tia mater
errorum
& c.

in iustitia concionatore adhuc nomen Domini inuocante,
 concreuit in pluuiam doctrina: interq; seminantis ma-
 nus semen ante maturuit, quam germinare visum est in
 terra aliqui sterili & saxosa. Latro enim ille à dex-
 tris pendens auido gremio primam hanc verborum fe-
 mentem concepit, sterilitatemq; feracitate mutauit: ex
 impio pius, ex latrone martyr, ex blasphemio confessor,
 ex nouissimo, subito prim^o euasit: relictis omnibus Do-
 minum pendens etiã, secutus est, & possessionem suam
 quantacunque erat ad pedes crucifixi crucifixus & ipse
 retulit, corde enim credidit ad iustitiam, & oris confes-
 sione inuenit salutem. Primas igitur regi nostro preces
 oblaturus, dicit: *Domine, memento mei, dum veneris in re-
 gnum tuum.* quasi dicat: Quod tanti te aestimo, tantaque
 fiducia ad te curro, me mouet & creaturarũ comparsio,
 & inaudita tua patientia in tantis malis, maximè au-
 tem quod etiam nunc pro eis oras, excusas. Non huma-
 na sunt hæc, sed super naturalia & diuina. igitur memen-
 to mei. Non audeo maiora petere, peccator sum, indi-
 gnus omni gratia, tantum memento mei, ne obliuiscaris
 mei: me vel cum catellis è micis quæ cadunt de men-
 sa participem fac, &c. Nec in hac vita quicquam tem-
 porale peto, sed dum veneris in regnũ tuum, illic me-
 memento mei, &c. Circa hanc latronis orationem primò
 considera inscrutabilia iudicia Dei. Confitetur latro
 dum Apostoli omnes diffidebant. Disce igitur hic ne
 quemquã, quantumcunq; malus fuerit temerè iudices:
 potest enim Deus in momento illos conuertere. Se-
 cundò, considera hic pulchram latronis illius mentem
 & fidem: nihil habebat nisi cor & linguam liberam, &
 hæc duo Christo obtulit, vt corde crederet, & ore con-
 fiteretur. Petit autem non regnum, sed ne in obliuio-
 nem veniat quicquid ei patiendum sit. Et si rectè atten-
 das, videbis in hoc latrone omnia quæ in Christiano
 requiras: peccatum agnouit, iustitiam Christi confessus
 est: nec desperauit, quamuis latro, salutem. Præterea
 hic vides fructus fidei; confessionem scilicet & chari-
 tatem, quam præstitit fratri dum arguit, dum & ipsum
 vult agnoscere peccatum, & credere in Christum. Ideo
 audit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* qua-
 si dicat

K k k k

si dicat

si dicat: Quanquam comes vnice magna fide non maxima humiliter petas, ego tamen non nescius quae me praestare, vel te recipere deceat, non nisi arduis, maximis, opulentissimisque summam, admirandam locupletissimamque virtutem tuam remunerabo. Quid enim fide tua admirabilis? quid sanctius? A cunctis obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde. Qui iuxta me erant, à longè stant: noti non agnoscunt, amici inimici facti sunt, discipuli fugiunt: Petrus ille apostolorum princeps ad blandientis mulierculæ vocem contremiscit, negat, peierat: Iudas, cui me meaq; commendaram paucorum nummorum fulgore pellectus, me furtim imminuit, me vendidit, me prodidit, osculo me inuasit, & sese laqueo enecuit: alij balâtes quasi oves sine pastore dispersi, spe fideq; iuxta destituti sunt: tu vero latro ex ferarum latibulis, ex nemorû speluncis aduenis, & affectu occurris, amicis fidelior, discipulis constantior, credis, speras, adoras, ingratos confundis, blasphemos corripis, condamnato innocentiae testimoniû fers, & qua sola potes pro me lingua pugnas: vides me ut scelestum malefactorem, agnoscis ut sanctissimum redemptorem: vides confortem in pœnis, inuocas ut dominantem in cœlis: vides quasi abiectissimi nouissimi que virorum miseriam, & confiteris immensam regnantis in alio seculo fœlicitatem. Verè nec sanguis nec caro reuelauit tibi, sed pater qui in cœlis est. Credidit Abraham, sed loquenti è cœlo: credidit Moyses, sed medio ignis loquenti: credidit Esaias, sed super thronum excelsum sedenti: credis & tu, sed in cruce ignominiosa pendenti, supplicia agraq; trahenti suspiras, non secus ac si miraculis clarescerem, virtutumque operibus magnificarer. Tantam fidem in Israël non inueni. Crediderunt Nathanaël & Nicodemus scripturis communiti. Crediderunt Emorroissa & Chananaea signorum claritudine attractæ. Crediderunt discipuli, duodecim sedum pollicitatione lætificati. Nulla tibi horum demonstrata sunt, ex infirmitate gloriam, ex condemnatione innocentia arguis. Sanctæ profectò fidei fructum nolo diu expectes: licet ad portas mortis penè appropinquaris, arborique vitæ tuæ securis inculta sit, adhuc

Psal. 39.

Matt. 16.

tamen

tamen tempestiuus oportuniusq; venisti, adhuc veniæ locus patet, adhuc misericordiæ janua clausa non est, gratiarū fons solito vberior iā manat. Age, fiat tibi secundum fidē tuam. Emorroisiam fides à sanguinis profusio curauit, te ab omni peccatorum cōtagio mūdabit, Chanaanæ filiā à dæmonijs tortam fides liberauit, te à serpente calcanei tui insidiatore, à laqueo venantium, ab expectatione inimicorū tuorū, quibus vt dominis seruisti, vindicabit. Fide leprosi mundationem, cæci visum, paralytici incolumitatem receperūt, tu animæ salutē & gloriam consequeris æternam. Fide cum Enoch mortē non videbis amarā. Cum Noë in arca à diluuiō liberaberis. Cū Abrahamo, quem nescis loci, in hereditatē accepturus es. Cum Mose à vastante angelo non percutieris, securusq; per mare rubrū transibis. Tu Caleph alter, me Iesu ducē, terrā lac & mel fluentem ingredieris, vtilius honorificentiusq; tibi erit à latere pendisse meo, quā corā Cæsare in tapetis aureis sellaq; eburnea consedisse. Celebraberis lōgē amplius quā Augustus ipse. Dulcius tibi erit tormentorū meorum fuisse consortē, quā totius orbis monarchā & regem. Quid enim tibi prodesset, si mundus omnis aliquantisper tibi subderetur; & anima tua cruciatibus torqueretur æternis? Quid pauculæ iuarent diuitiæ & deliciæ, si perpetui comitarentur dolores & egestates? Amen dico tibi, nescio vanis lactare promissis, securus esto, non minus ponderis verba mea, quā iuramenta habēt, nec hæc quā illa minus sunt sancta. Sed ob fidei meritū, Abrahamæ patribusq; olim iurauī, tibi quoque iurabo. Verū multò scelicius: nempe his iurauī quod multa secula viderunt, tibi iuro pariter & præsto, *Hodie mecū eris in paradiso*. Hæc tua sunt præmia. Hodie, ne mora expectanti tardium pariat, hodie salus domui tuæ facta est, hodie incipiam te exaltare coram vero beatoq; Israëlē, vt sciant quòd tecum sim. hodie terra viuientium; quam calcauerit pes tuus, erit possessio tua in æternū, quia secutus es Dominū Deum tuū. Parua à foris petitio tua videtur, quid enim facilius quā meminisse pauca precatum te censes, sed maxima sunt; solaq; fidelium seruatorū preces: vt scilicet memor tui

sim in regno. Quorum memor sum, derelicti non sunt quorum immemor, à manu mea repelluntur, & quasi fumus deficiunt. Quorum misereor, memor sum: quorum memor sum, his & misereor. Quorum autem memor in regno sum, non nisi beati sunt, vt Prophe- ta: Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis.

Psal. 113. Sub breui itaque orationis compendio, nescius im- mense petis munera, ego autem plura semper quam petantur, largior, plura tribuere possum, quam creatura omnis petere queat, quæ & sine me nihil petere potest.

Psal. 111. Memoria igitur tui memor ero, & benedicam tibi. In memoria æterna eris, & ab auditu malo non timebis. Et ne vnquam memoria excidas, tecum eris, & super te oculi mei erunt semper in humeris meis portaberis, & scapulis meis obumbrabo tibi, & sub pennis meis sperabis. Mecum eris, non timebis mala, quia ego manus Domini tanquam bellator fortis tecum: tecum eris, qui vbiq; sum, qui omnia in omnibus sum. Tunc vide- bis quid & quam honorificum sit tecum esse, & affluet & dilatabitur cor tuum. Mecum eris in paradiso, etiam nunc si ad infernum intraueris, commutabitur ille in cælum. Eris in paradiso, nec te flammeus ille gladius, nec Cherubin in custodia ardebit. Adamus, quia à facie mea se absconderat, iuste exclusus est: tu verò ad me conuersus, vt tui memor essem misericorditer introducendus es. Eris in paradiso, non in illo terrestri, sed in horto voluptatis cælesti vbi inaccessabili irradiaberis luce, quæ angelorum oculos illustrat, sanctorum iuuentutem exhilarat, vbi fontem vitæ potabis, & inebriaberis: vbi in cælesti Hierusalem, in pulchritudine pacis iucunda celebrabis sabbata, Regnum illud ante mundi initium bonis constitutum, tu primus capeffes, nemo te prior ingreditur, nulli vnquam tanta concessa bona. Sic qui me glorificant, glorificabuntur. Erisq; in signum, vt sciat omnes à maximo vsq; ad minimum, quæ salubris honorificaq; sit credentium in me fides. Eris præterea tecum in paradiso, & regno Ecclesie, quam hodie sanguine meo ædifico, vt quisquis sceleribus tuis veniam datam cognouerit, securus ipse de suis nequaquam desperet, sed & ipse ad me conuertatur, salutem quærat vt inueniat, petat

petat vt accipiat. Vel si peccata vt coccinū fuerint, deal-
 habuntur: aut rubra quāsi vermiculus, tanquā lana alba
 erunt, aut innumera vt harena maris, ignorabūtur. Ma-
 jor mea est misericordia, quā humana peruerfitas, mo-
 dō reuertantur ad me, vt ego conuertar ad eos. Nemo
 crucis vilitatē attendat, sed quis ego, & quare hic pen-
 deam agnoscat: nolo mortem morientis animā, nullum
 penitentiae tempus dum hic viuatur, serum est, nullum
 sceleris magnitudo deterreat, nullum flagitiorū multi-
 tudo quasset. Paruis & magnis, paucis & plurimis no-
 xis, iuxta misereri peculiare mihi est. Miserationes meae
 super omnia opera mea. Jamq; per te cognoscetur quā
 tum gaudiū est in caelis super vno peccatore peniten-
 tiam agere. quū tu ante vndecentū iustissimos in regni
 caelorum ingressu, primus antecedas. Maxima hāc mu-
 nera eximiae tuae fidei rependo. *Amē dico tibi, Hodie, &c.*
 Quanta pietas, quanta misericordia Dñi in hoc verbo?
 Quō nō letus moreretur hac audita promissione? Ex
 hoc aut verbo plura discere possumus. Primò, exēplo
 latronis nemo spem abiciat: nemo misericordiae abyf-
 sam exhaustā iri putet. Secundò, discat Christianus hic
 orare: non vt census multiplicentur, vt defolias olim
 regū gazas inueniat, non vt domū domui, agrum agro
 coniungat, sed vt memor eius sit Dñs in regno, non ter-
 reno, sed suo. Tertiò, neminē ante supremum diem vel
 beatū vel damnatū cenſeamus. nescitur enim quis odio
 vel amore Dei dignus sit: dānatur Apostolus, saluatur
 latro. Quartò, nemo latronē in exemplū trahat, vt pen-
 nitentia sub vltimam vsq; horā differat: rara est gratia,
 quae huic data est. Latro qua vocat⁹ est hora, poenituit,
 salutē inuenit: te etiā hodie Dñs vocat, noli tardare, se-
 quere Dominum: ne forsan cū Esau lachrymā abundus
 penitentiae locum queras, & non inuenias. *Stabat autē
 iuxta crucē Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleo-
 phe vxor, & Maria Magdalena. Solet tribulatis refrigerio
 esse amicorū praesentia, dū ab eis aliqua consolatio spe-
 ratur: sed tristissima fuit hāc praesentia & matri stanti,
 & filio pendenti, adeo quod vsque hodie eius deuota
 meditatio potens est reuolucere in lachrymā durissima
 quaeque corda. Diffusius igitur verba illa tractemus.*

Psa. 144

Luc. 15.

Kkkk 3 Stabat.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

Stabat, mente. à fidei enim integritate, charitatis perfectione, virtutum culmine, nec aliquando cecidit, nec descendit. *Stabat* & corpore. sola enim cunctis amicis timētib; discipulis fugientibus, turbis quas pauerat, infirmis quos sanauerat, mortuis quos suscitauerat nullamquam comparentibus, cæteris autem insultantibus non fugit, non deseruit, sed parata mori cum filio imperterrita & immobilis stetit, stetit & morum honestate: quæuis enim tanta amaritudine repleta esset (qui enim posset tantis filij cruciatibus materno affectu nõ moueri?) nihil tamen indisciplinatum legitur fecisse. Nunquam obliuisceris etiam in tantis angustijs pudicitie virginis sancta? Quæ participatio despectionis loco & Dei templo? Quæ conuentio aere maledictionis & armarij benedictionis? Quis consensus supplicij malefactorum & speculi puritatis virginum? *Stabat iuxta crucem Iesù*, qui vnus & idem sibi pater erat & filius, sponsus & Dominus, natus eius & Deus eius: & quia in ipso omnia habebat, ipsum dimittere non debebat. Quondam illum amiserat non nisi per triduum, & cum mœrore circuiens vicos Hierusalem inter cognatos & notos docere eum amplius non potuit, quia stabant omnes noti eius à longè. Et quidem necesse habuit vt staret iuxta crucem immobilis, quia si ab initio cum cæteris recessisset, & nunc visura filium redisset, quomodo eum agnouisset? iam enim summi sacerdotis facies immutata erat, nec solita claritatis vestigium præ se ferebat. Materno igitur concepto concilio dicebat in corde suo: Stabo & expectabo mortis sententiam in dilectum filium meum: sequar à tergo egrediētem de Hierusalem, aspiciam lachrymosis oculis quò ducatur, videbo quomodo expolietur, considerabo graui corde quomodo perforent manus & pedes vnici nati mei, quomodo eum affigant paribulo, erigant in ligno. Et cum omnibus peractis, ipsi recesserint, & procul steterint, nõ appropinquātes ei vt maledicto pendenti in ligno, accedam ego propius, & stabo iuxta crucem mei Iesù. Amplectar lignum illud brachijs, deosculabor ha-

bij

hij, rigabo lachrymis : & quia mori non licet eum eo, suspendam oculos in suspensio filio meo . Aspiciã quomodo de hoc mundo exeat, quæ sola utunque noui quomodo in hunc mundum aduenerit : non deseram morientem, quem viuentem nunquam deserui . Verè, congrue ei, cæteris relinquentibus, assististi pia mater : sic enim & ipse olim dimissis omnibus creaturis, ad te venire dignatus est . Hic est enim indomitus ille unicornis, omnibus incomprehensibilis, qui dudum agitatus & quasi fatigatus sanctorum patrum desiderijs, seipsum continere non valens, tandem in gremio tuo virgineo captus est . & ecce vicem reddidisti utunque tali dignationi . Ille se tibi dedit, relinquens omnia, nunc autem omnibus eum relinquentibus, tu bona genitrix permanes, tu stanti in cruce, stando iuxta crucem miserandam exhibes societatem, patiens ibi inuisibiliter in corde, quicquid ille visibiliter patiebatur in corpore . Hanc eius ineffabilem tristem que passionem Euangelista subtiliter designans, non nomine proprio sicut alias mulieres eam comitantes exprimit, sed nomine pietatis, quod est, *Mater eius* . Cuius eius? Iesu vnigeniti, in vtero virginali cõcepti, tam dulciter ab ea nutriti tanta charitate delecti : nunc autem à Deo percussi, ab hominibus humiliati, despecti, in cruce ex-tenti, opprobrijs saturati, doloribus ac plagis crudelissimis repleti, morte turpissima iam iam que consumendi . Non potuit efficacius describere virginis dolores quam dicendo, *Stabat iuxta crucem Iesu, &c.* Stabat tanquam mater circa lectum filij morientis : videbat eum ligatum, & soluere non potuit : saniem in faciem fluere, & abstergere non potuit, corpus vulneratum, & vulnera ligare non potuit : vidit caput inclinatum, quod sustentare non potuit : vidit eum afflictum, & consolari non potuit . Vides hic quam verè dixerit Simeon : Tuã ipsius animam pertrãsibit gladius : id est, quanquam is, quem tu genuisti, Dei altissimi filius sit & rex regum, tu tamen in ipso non habebis hic cælum aut regnum, sed gladiũ cordis : non patieris quidem corpore : sed in anima tua gladium doloris senties . *Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem, quem diligebat.*

Luc. 2.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

Moriturus matrem agnoscit, qui aquam in vinum muta-
 turus: eam nō agnouit, illud enim ex ea susceperat, non
 hoc. Cū nullum membrum haberet liberum, oculis
 exceptis & lingua, de vtroq; seruire matri dignatus est,
 aspiciendo scilicet & alloquēdo: vtraq; ad eam dirigit,
 vt videret quantum ipse eam gestaret in corde, vtq; re-
 ipsa doceret honorandos esse parentes. *Cum, inquit, vi-*
disset. O verē stupendum visionis miraculum, o gēme-
 bundum certamen oculorum, quod vidisses in oculis
 Iesu, in vno eodemque tempore ipsi oculi festinabant
 ad mortem & sese retorquebat ad matrem: virtus mor-
 tis eos claudebat, & impellebat ad defectum: vis amo-
 rē eos aperuit ad matris aspectum. O quā profun-
 de infixus est finalis huius visionis radius in corde tuo
 mater sancta, quo te mundi Dominus iam moriens in-
 tueri dignatus est. Reuerā sagitta fuit, quæ non tantum
 cor tuū vulnerauit, sed & gladius Simeonis, qui animę
 tuæ intima pertransiuit. O quā plena singultibus, su-
 perfusa doloribus lachrymantes oculos direxeras sur-
 sum, vt in horrendo patibulo filium morientem simul
 & te respicientem videres. Sed nūc audiamus quomo-
 do & lingua seruiert matri Christus. *Dicit matri suæ,*
Mulier ecce filius tuus. Sensus est: Scio mulier, anxias pe-
 ctoris tui curas, scio mēstitudinē, scio & misericordiā,
 religionē, charitatēq; tuā: scio, & anxie, scio quippe qd
 doloris mei causa nō minima sis, ego tui vnica sum scio
 qd obrē astes. Vis pietatis vngvine me delinire, cogitas
 desolatū vel præsētia tua solari, optas & mecū cōmo-
 ri, aut sola mori. Accepta sunt hæc, sed quantū mulcēt,
 tantū vlcērant. Nā & anima tua cōsolari renuit, nisi me
 integrō, libero & tibi reddito. frustra alioqui fomenta
 sunt omnia, frustra remedia, frustra consolatiūcule, fru-
 stra quicquid offertur: verū aliud nunc agitur, placan-
 da est ira parris, satisfaciēdū est pro peccatis hoim, mo-
 riendū omnino mihi est, vt mors aboleatur: cōsummā-
 dū opus redēptionis humanæ, in quo iā triginta tribus
 annis strenuē laboraui. Descendi. n. de caelo, non vt fa-
 ciam voluntatem meam, sed eius qui misit me: necesse
 est igitur vt à te separer, sed ad modicum tempus. In mo-
 mento & ad modicum tempus derelinquam te, sed in
 mise-

miseratione magna suscipiam te &c. Doloris tui causa sum, sed idem ego consolationis & perpetui gaudij causa tibi futurus sum. Proinde mulier fortissima suis temporibus precio & remuneratione ex vltimis finibus nõ fraudanda, etiam nunc (si ab afflictissimo, afflictio quid remedij afferri potest) debito solatio nõ es discutienda. En astat Ioanes ille nepos tuus, alioqui tibi mihiq; iuxta percharus: nũc aut vtriq; cõmendatissimus, ob singularem suam in me fidem dulcissimãq; charitatis suauitatem. Hunc ipsum igitur quasi alterum me in famulum, custodem & tutorem trado: is interim reputabitur filius tuus. Pro sua enim castitate virginati & superangelicæ puritati tuæ conuenit, proq; sua fidelitate tibi non minus quàm mihi fideliter & constantissimè astabit. *Mulier igitur ecce filius tuus.* O commutationem. Ioannes ei pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei. Quantis putas doloribus hoc verbum cor matris cumulauit? interim tamen fide perstitit immobilis. Obserua autem quòd Christus matrem suam mulierem vocat, non virginem aut matrem: tũ ne magis ipsius dolor aũgmẽtaretur, tum quia etsi nomine virginitatis supra modum laudibus vehẽda sit, tamẽ mulieris nomine maioribus præconijs cumulanda est. nimirũ quod Deus illius viscera hoc sacro fructu dignatus sit, & testamentum iam olim Abrahæ promissum per ipsam mundo exposuerit. Hinc est quòd Christus eam de cruce mulierem vocat: hinc est quòd angelus eã benedictam inter omnes mulieres pronunciat: hinc est quòd Paulus dicit, Christũ ex muliere factum. Docemur autem hoc verbo, curam sollicitam & honorem impendere parentibus, compati afflictis, consolari mœstos. *Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* quasi dicat: Egregiè quidem hætenus mi Ioanes, vocationi tuæ respondisti: orauit te amor meus dulcissimus nauicula, parentibus, coniuge, & teipso, in me spem, curã, sollicitudinem omnẽ iactaras, in me petra secure ædificaras: nihil tam dulce, nec nuptiæ, nec paterna domus, nihil tam graue, quod te à comitatu meo retraheret, per iniquas etiam pontificum ades sequutus, iamq; notatissimæ cruci huic compatiensissimus.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

affas, me sequi, meis interesse cōfortijs meis parere mā
 datis, tua voluptas erat, vltimum igitur meum mandatū
 diligēter attēde. *Ecce mater tua.* Vides me morti propin-
 quum, vides matrem desolatā, vides aduersarios mul-
 tos, eam igitur tibi commendo, assigno, & tuam facio.
 Ecce quæ mea, iam tua mater est. Tu igitur quod filiū
 decet, eam serua, foue, dilige, ministra. Si eam agnosces
 matrem, ego te agnoscā fratrē. *Ecce mater tua.* *Et ex illa
 hora, accepit eam discipulus in sua.* id est, ad se, vt haberet
 eius curā, &c. Cæterū quod Christus moriturus tā offi-
 ciose matrē discipulo cōmēdat, nō nihil mysterij habet.
 Maria Ecclesia Dei est, quæ Ioāni creditur ministro. Ac-
 cipiūt autē Ecclesiam in sua Ioannes, quando verbo Dei
 illi præest: Christus verò anteponit Ecclesiā ministro.
 Nā sic inquit: Qui maior est in vobis, sit tanquā minor,
 &cæt. Et Paulus, Sic nos existimet homo, vt ministros
 &c. Porrò nemo se ministrum Mariæ, hoc est, Ecclesiæ
 ingerat, nisi illi à Deo cura illius committatur. vocatis
 enim seruis dedit minas ad negociandum. Et nemo si-
 bi ipsi vsurpat honorem, sed qui vocatur à Deo, quem-
 admodū Aarō. *Cū autem facta esset hora sexta, tenebra fa-
 ctæ sunt super vniuersam terram, vsque in horam nonam.*
 Quod tenebræ fiunt, significat omnes creaturas lugere,
 & indignari ad blasphemias Christo illatas. Deniq; &
 pater cœlestis his signis voluit ostendere se indigna
 videre, quæ tamen ipse in gloriam credituris fieri vo-
 luit. Demum & non nihil futurum hæ tenebræ porten-
 derūt, nempe Christi negatoribus perpetuas tenebras
 relinquendas. *Et circa horam nonam.* Cum in immensum
 eius dolor augetetur, tribus enim horis iam pepēderat
 in cruce, sine aliquo refrigerio. Totum. n. corpus tribus
 aut quatuor clauis sustētabatur: nec igitur dolorē pedū
 nec manū mitigare aliquo modo valebat. *Ideo clama-
 uit iesus voce magna.* Primò, ad insinuandā in ipso natu-
 ræ humanæ veritatē, cui passio penosa erat. Secūdo, ad
 ostendendū, suæ passionis magnitudinē, quæ licet om-
 niū pateret oculis, tamē multa fuerūt in eo intranea mo-
 roris augmēta, & hæc per clamorē ostēdit. Tertio, clama-
 mat propter generis humani ingritudinē, dicēs: *Heli,
 Heli, lamazababani.* quod est, si quis interpretetur, Deus
 meus,

Maria ty-
 pus Eccle-
 siæ.
 Luc. 22.

meus, Deus meus, cur deseruisti me? quasi dicat: Qui amicis animorū curas pandūt, dimidiaſſe ſeſe eas putāt: ego verò ad te Deū meū, patrē meū, patrē miſericordia rum & totius conſolationis conuerſus, cruciatū meo rum lenimentū nec inuenio, nec quæro: longē quidē à ſalute mea vērba mea per quā. n. voluntarius huic onerī me ſubmiſi, quicquid ſuperieceris libenter ferendū eſt. Licet autē clamantem qd te nō exaudias, dolores tamen meos annuncio tibi, ne vel ſilentio mitigatiunculam quærere videar: ſi enim gemitus deuorare, lachrymas euocarē, à nonnullis inimicis gaudio defraudare, taliq; vindicta me ſolari crederet: alij extinctā in me charitatem tuā calumniarentur, multi quoq; cohibito clamore portentoſam hāc patientiā non humanā eſſe, ſed in fictio corpufculo emētitiā blaſphemerēt: alij ſub tam conſeſſo carnis meæ pallio, intactū adhuc, quietū, nihilq; turbatū animū ſuſpicarēt, vulnerū quippe, liuorū, pœnarū & eorū quæ foris vidētur, corporales oculi plerunq; fatiſ recepti teſtes ſunt. Vix autē ad ſecretiora animę diuoſcenda ocularis pertingit perſpicacitas, quā in re oculariſ decem auritiſ vnus fidelior eſt. Summas itaq; animę neceſſitates, feruidos curarū eſtus, creberrimas perturbationū procellas clamore teſtabor, & piorum cordibus, quibus tu dederis, profundius inferam. Vbi autē potiſſimū, quā corā te ditīſſimo * paupere? corā te patre ego filiſ, corā te optimo ego innocēs & grumnas meas recēſebo, & mœrorē detegā: tu Deus meus, & refugium meū, audi ergo dolores filij. Deus meus, Deus meus, hoc angorum meorum ſumma & caput eſt, quod me dereliquiſti. Deus meus, Deus meus eſ tu. Alij te Deum inuocāt cuius gloria egent, quem peccatiſ negarunt: ego te bis Deū inuoco, & cuius nature particeps ſum, à cuius nec mādatis retroceſſi: at me iuſtiſſimū à te abijciſ, & pro impijſ obijciſ impijſ: filiū me ſeuertiter caſtigas, vt ſeruo rebelli miſericorditer parcas: me aquæ tuæ viux verū canalem fugiſ & derelinquiſ, vt in ciſternas detritas & vtres diruptos inſluas. Vnde fit vt cum ſcendentibus in lacū, & inter mortuos æſtimer. Dereliquiſti me, ſed & extendiſti ſuper me manū tuam, & fluctus tui ſuper me tranſerūt: veni in altitudinem maris,

*patre?

maris,

CAP. 27. COMMENTA. IN MATH.

maris, & tempestas demersit me. intrauerunt aq̄e vsq; ad animā meā. Dereliquisti me, auxilio tuo delitisti, consolationibus nudasti, rorem refrigerij ne desinat suspendisti: nec consummatio virtutum, nec charitas, nec ipsa denique gloria beatitudo qua fruor, crucem meam minus asperam mihi reddit: sed & extendisti super me manū tuam, vt vir dolorū essem, & sciens infirmitatem, percussus à te & humiliatus, vt dolor dolore acerbius in me sauiret, vt vulnera morte grauius affigerent, vt liuorē plagis atrocibus exasperarent: nihil in me inexamiatum remaneret. nihil non retētatum perentiscerem: nulla in corpore sanitas à plāta pedis vsq; ad verticem: nulla & in anima sanitas, ab infimis sensuum pedibus ad eminentem vsq; rationis verticem: foris vastat framea & gladius, intus pauor & luctus: foris dolorum riuuli in corpore, intus tribulationum mare in corde. Laborat ægrius caro mea, quia tenerior, viuatior, sensatior: maiori labore egrotat anima, quia innocentior, sapientior, dignior. Caro dolet, anima dolet, ventrem meum doleo, caput meum doleo, & quid non dolet tuo subsidio exutum? Cū enim tu sis summum gaudium, summa lætitia, & omne bonum, quid est derelinqui à te, nisi in summo mœrore, tristitia, afflictione, & omni malo relinqui? Tribulatio & angustia inuenerunt me, perque momenta singula dolores mortēsque mille ingrauescūt, ingēti & intollerabili dolore affectus sum. Omnes deinde creaturæ mihi resistunt, vulgus conuitiatur, pontifices blasphemant, à litronibus contemnor, Apostoli abnegarunt, amici desperarunt, sol lumen suum subtraxit, & tu Deus meus taces, non adiuuas, non consolaris. Ad hæc omnia, mœrores meos exagitat nominis tui offensa materna turbatio, discipulorum timor, pusillorum scandalum, crucifigentium error, denique sanctorum omnium, qui fuerunt, sunt vel erunt, pro nomine meo susceptæ angustia. Quā maximè etiam scelus ingratitude illorum, qui post secula peccaturi sunt, iam etiā matricēs redulcerant, cor totum fodicant, lancinant, populātur quicquid turbationē suscipere potest. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. Ita me dereliquisti,

quisi, exposuisti, tradidisti impijs. Accedit ad hæc, vt quid derelictio mea? Mala pro bonis retribuuntur, precium meum repellitur, postque tot sudores & exantlationes, pro messe spicilegium, pro vindemia racematio offertur: Decem iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij fementis, facient modios tres. Tot millia per rubrum mare sanguinis mei de Aegypto educuntur, vnus modò mecum ad terram promissam peruenit: non est qui det gloriam Deo, nisi hic alienigena, non est qui faciat bonum, non est vsque ad hunc vnum, Vt quid me dereliquisti? Non modò dolere me fateor, qui gloriæ tuæ assiduus cõiuua sum, sed & non admirari non possum, qui tua sum sapientia. Quis mihi admirer, vt quid me dereliqueris? Speciosis ego præ filijs hominum, tua voluptas, desiderium angelorum, ob vermium salutem, vermis & abiectione vermium factus sum. Vt quid me dereliquisti? Bonorum totius creaturæ non egēs, in te consummatissimus & beatissimus es, extranea sc̄licitate nihil tuæ accrescit. Admior igitur, quia tam admiranda tua bonitas, tam inestimabilis charitas, vt me filium tuum pro illis exponas. Nec minus admior, quòd ipse meopte conatu tam flagranter, tam afflictim, tam humiliter tuis pareo mandatis, pro ingratis & inobediētibus me offero. Si quid pœnarum adhuc restat superpone, gratus excipio. Deū adhuc cõfiteor: vt tua voluntas fiat, mea voluntas est. Deus meus, Deus meus, quãobré me dereliquisti? Ecce paratū cor meū ad explendū quicquid mandaueris: doloris magna vis est, sed amoris longè violentior magnitudo. Derelinquas me amplius, sint ingratiore, à charitate tua, & eorum quos vocasti separari nequeo. Quis. n. me separabit à charitate tua? tribulatio, &c. Sed Rom. 3. dereliquisti, ne derelinquas: humiliasti, vt magnifices: abiecasti, vt honorificentissimè excipias: dereliquisti, & id vnum reliquisti, vt ad te. (licet citra consolationem) confugerem & clamarem. Placeat ergo tibi filius castigatus, & libèter audi quē in exercitatione sua charitatis rugitum trãsmittit. *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Circa hunc locum primò notabis hanc vocem (vt quid me dereliquisti) non fictitiam, nec in
 bucca

bucca solum natam, sed verissimam esse: nec oris solum, verum etiam cordis ac omnium humanarum virium fuisse clamorem. Exiit enim Christus hac hora Deum non abijciendo, sed non sentiendo; seposuit patrem, ut hominem ageret, sic & Deus pater, nunc non patrem, sed tyrannum agit, quavis interim amicissimo in Christum sit animo. Christus igitur quemadmodum summo gaudio, ita summa tristitia perfrictus fuit: Christus ut summa virtute, ita summa infirmitate praeditus fuit: Christus ut in summa pace, ita in summa perturbatione egit: Christus ut vitae dulcoris, ita mortis acerbitate perfrictus. Secundò, observa quod illa Christi derelictio quor est conscientiae nostrae ob admitta peccata, quae iudicium Dei & iram aeternam experitur: & sic afficitur, quasi in perpetuum derelicta & reiecta à facie Dei esset. Iuxta illud. Ego dixi in extasi mea, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Iudicio autem revelato, quis non desperet? Nullus enim est qui cõset & iudicium terre possit. Quemadmodum enim oculus à nimio splendore solis excæcatur, & aures à nimio sono obsurdescunt: ita iudicium Dei sonantius est, quam ut possit à mente cordis nostri sustineri, & gravius quàm ut possit humanis viribus ferri. Itaque cogit hominè ad desperationem, propterea quod nusquam via euadendi patcat. Id

Amos. 9 quod Amos testatur: Non erit (inquit) eis fuga: & qui fugerit ex eis, non saluabitur. Si descenderint usque ad infernum, &c. Nam Domino sic iudicanti, omnes creaturae obediunt, & iudicium Domini adiuvant, ut omnia cõdemnatis sint horrenda, ut Ioël dicit: A facie Domini contremuit terra, moti sunt caeli, sol & luna obtebrati sunt, &c. Item: In illa die occiderit eis sol in meridie, &c. Quid igitur miserius homine, qui à domino iudicatur, omnium creaturarum auxilio & solatio destituitur & desperat? hoc enim est supplicium, quod omnes propter peccata meriti sumus. Itaque Christus Dei vngentis filius, ex mera misericordia, nullo nostro merito coniecit se in nostram causam, & in humeros suos supplicium à nobis meritum suscepit. Hinc videmus ex altera parte cõtra Christum stare vulgum conuiciantem: Pontifices blasphemantes, latrones, maledi-

Amos. 9

Ioël. 2.

Amos. 8

maledicentes, Apostolos abnegantes, amicos offensos, motam terram, solis defectum, breuiter omnia horrenda. Ex altera parte Deum aduersarium, derelinquentem, ita vt clamet, Quare dereliquisti me? Vt non solum supplicium à nobis meritum, verum etiam desperationem nostrâ in se transfulerit. Nostra est enim hæc vox, qui nullis viribus iudiciû Dei sustinere valemus, quin desperemus: Christus autem eam vocem in se recepit ac desperationem nostram vicit, vt nunc certi simus nos non derelinquendos à Deo, etiam si videamur derelinqui: imò certi simus Deum nunquam præsentio rem esse, quam cum videtur longissimè abesse. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, &c. Itaque Christus vt peccatores liberaret, constituit seipsum in locum omnium peccatorum: non quidem furans, adulterans, occidens, &c. sed stipendium: pœnam & meritum peccatorum, (quæ sunt frigus, calor, esuries, sitis, timor, tremor, horror mortis, horror inferni, desperatio, mors, infernus ipse) in se transferens, vt famem fame, timorem timore, horrorem horrore, desperatione desperatione, mortem morte, infernum inferno, breuiter Sathanam Sathanam vinceret. Est enim pulcherrimum victoriæ genus, hostem proprio gladio iugulare. Item Paulus: Misit Deus filium suum sub specie carnis obnoxia, vt de peccato damnaret peccatum. Sic Esaias: Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Madianitæ enim mutuis vulneribus conciderunt. Sic Sathan suis ipsius armis victus est, quemadmodum & Goliath à Dauide. Præterea hoc verbo docemur quid in afflictionibus nobis agendû sit, nempe vt in omnibus ad Deû fida mente curramus, orantes vt ipse tribulationem nostram respiciat. Docemur etiam hic, vt quibus vestigis christus regnum cœlorum ingressus est, eisdem & nos libenter incedamus, nihilq; de pressuris conquaremur, quando nec discipulus supra magistrum, nec seruus supra Dominum est. Tum beati erimus, cû cõmunicantes passionibus Christi ab alijs excõmunicamur, & propter nomẽ eius exosi cunctis fuerimus, nobisq; interim nihil dulcius nisi Iesus: nihil asperû, nisi à Iesu dissiugi. Demû hoc verbo

Esai. 9.

Iud. 7.

1. Reg. 17

verbo

verbo discamus restinguere vredinem libidinis. Ad id enim mali retundendū, vix alia herba salubrior & efficacior, quam cogitare Iesum Christum ab omnibus, etiam à patre derelictū, totq; expositū cruciatibus, omnibus solationū refrigerijs vacuū, & omnia aduersa tolerare in fontem, & pro aliena culpa. Heu fornicariē, adulter, venerei omnes, quam vicem afflictissimo Christo rependitis? Pro salute vestra nec momentanea oblectatiuncula cassari, nec paulisper potiuncula mordaciore affligi sustinetis: quomodo sanguinem, corpus, vitam pro fratribus, pro Christo exponetis: vbi affectus vestros desigitis? quid agglutinatis terre, quorum generositas cœlis superior est? Incola vinearū Engaddi, quid disperitis in stercora in Endor? Ciues paradisi quid involutabris asphalti volutamini? Capite fasciculū myrrhæ huius, meditemini passionē Domini, vt sanari possitis à plaga peccati. *Quidam autem illic stantes, dixerunt: Ecce, Heliam vocat iste.* Hieronymus putat Romanos fuisse milites, non intelligentes Hebræi sermonis proprietatem. Secundum alios Iudæi erant, qui contra conscientiam vulgè verba Christi deprauabant, sed isto clamore, nisi cæci fuissent, vidissent sese prouocari ad eum scripturæ locum, vbi omnia prædicuntur, quæ corā videbāt. *Sciens autem Iesus quod iam omnia consummata sunt: vt scriptura impleretur, dixit: Sitio.* Inter cibi & potus inopia magis vrget sitis, præsertim defectos qui nōnunquam paucis guttulis refocillatur. Nō igitur sine mysterio christus quasi omnium dolorū oblitus, sitis sue acrimoniā querula supplicatione ægerrimè indicat. Deinde vt maximè naturalis fuerit sitis ex nocturnis vigilijs, & diurnis supplicijs, agnosceamus tū hinc christum omnino affectum derelictorum à Domino in se transfuisse. Nam si quis fuerit à Domino derelictus, quocūq; se vertit, auxilium quarit: ita etiam Christus & Dei & creaturarum auxilio destitutus, vel in potu refocillationem quarit, vt in se declaret quis sit affectus hominis in iudicio Domini, & in se vincere nos doceat. Dicit igitur: *Sitio.* quasi dicat: Quum vester ego, salutisq; vestræ sitientissimus amator, fratres charissimi, ob amorem salutemque vestram à Deo me derelictus sim,

charitatis feruor indagare iussit, an vel apud vos amplissimis mihi beneficijs obuinctos, tamq; inestimabili precio comparatos, misericordiae quispiam locus pateat, vobisque precari voluit, vt pertentarem, si florescerent vineae, & quo fructu labores meos essent solaturae, vtq; comprobarem, quam mihi gratiam pro tantis periculis vestra causa susceptis, repensuri sitis. Non in has meas ærumnas vos aduoco, nullū sanguinis vitæq; dispendium propono, non aurum, non argentum, non preciosa, non magni æstimata, nō multis sudoribus parata, non quidpiam peculijs vestris deponco aut quæro. Exiguum est, parabile est, naturaque omnibus commune quod inter vltima vitæ discrimina indigus obfero: sitio. sitim indico, & indicando potum supplex ac verecundus efflagito. Sitio, paucillum frigidioris aque peto. quid minus peti potest? quid indignius denegabitur? *Sitio*. tantum repeto aquæ, quantum lachrymarum vel sanguinis pro salute vestra profundo, sed nec tantum. parū est quod peto. *Sitio*. In somnem egi noctē, labore, cruciatu, itinere, verberibus, vulneribus, sanguis, humor vitalis viresq; extenuatæ & exhaustæ sunt. Factum est cor meum tanquam cera liquefscens in medio ventris mei. Adhæsit lingua faucibus meis, ossa mea sicut cremiū aruerūt. Percussus sum vt tænum, & aruit cor meū. Expādi manus meas tota die, anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Sitio*. Vitæ prorogationem nō oro, nec mortem, nec crucem, nec quæcunq; alia tormetorum genera deprecor, siti modō succurrite. Nemo ne ex tanto numero est, qui misereatur, & animam meam refocillet? Nunquid ex castris Palæstinorum aqua asferenda est? Nunquid inter nos etiam chaos firmatum est? *Sitio*. siti non succurritur, amara etiam sitis delibare cogit ipsum felle mixtum poculum, ne qui totus prœnis absumor, linguam supplicio liberam reseruēs. *Sitio*. nam & animum inexplibilis sitis angit: tuam enim salutem o homo, magis quam aquam: tuam redemptionem, magis quam meam refocillationem desidero. Te sitio, nec gustare modō, sed totū inter viscera mea haustu charitatis trajicere ac sorbere cupio. Pro hac siti restringenda, tantum itineris emensus, tot labores subij,

tot cruciatus pertuli : & ne quid tuæ salutis desit , mille adhuc id genus tormēta sitio. Ecce adest tempus, vt deficiat virtus, ne ergo cupitis frauder desiderijs, noli cor tuum homo hodie obdurare, sed suscipe sanctæ dilectionis ignē, suo ardore ita te coquat, vt castos edas gemitus, & largas exudes lachrymas, his & tu reficiaris: me pascito, sum autem cōuiuator minimè sumptuosus, sed remunerator omnium facile magnificentissimus: nec frigidam lachrymulam, nec desiderium pauperum aspernor: hæc mea vespertina est precatio, hæc post Dei mei charitatem vnica cura, vt te quæram, te amem, te sitiam ingeminantur desideria, mordeſcit charitas, & feruor amoris ebulliedo quasi ruptis habenis furit, & quid nisi languor & perpetua quædam tui sitis relinquitur? *sitio*, vt & vos hanc meam sitim sitiatis, hoc est, quemadmodum ego vos dilexi, ita & mutuo vos amore flagretis, quo nihil apud me sanctius, adeo vt pastor bonus, solo charitatis impulsu pro vobis animam ponerem. *sitio* præterea. nempe caput ego & cor omnium membrorum meorum siti laboro: neque enim parum me meorum miseria affligit, quam cum vengo in nubibus cum maiestate & gloria, non minus quam meam malis improperabo, dicens: Sitiui, & non dedistis mihi bibere,

Matt. 25. Quod enim vni ex minimis meis feceritis, mihi factum existimate. Tum meam sitim restinguis, homo, si famelicos meos cibaueris, siticulosos potaueris, nudos amicitias, vagos colliges hospitio, ægros captiuosque inuiseris, soleris, liberaueris. Tum meam sitim restingues, si ignorantibus lac eruditionis propinaueris, panem doctrinæ fregeris, impios corripueris, debita iniuriasque fratrum dimiseris, morositates morbosque æquanimitèr tuleris, precibusque puris adiuueris. Hæc mea sitis, quæ in membris meis dispersa, in me collecta est. Hanc sine aceto tristitiæ, sine felle liuoris sedate. Admoneat vos sitis illa mea tam multiplex, tam anxiosa, tanque doloribus plena: admoneat vos multitudo misericordiarum, & mensuræ, qua vobis remetiore, copiosa retributio. *O homo sitio.* Docemur autem hoc verbo, proximorum sitire salutē. *Vas ergo positum erat aceto plenum. Et continuo accurrens vnus ex eis, cui accepta spongiam impleſset aceto* *hysop.*

hypocho, imposuit arundi, & obtulit ori eius vt biberet. Sic enim scriptum est: In siti mea potauerunt mea aceto. O Psa. 68.
 insatiabilem furorem. Nemo vnquam tam obnoxius damnationi, cui non saltem particula misericordiae impartiretur, maximè accepta & data sententia mortis: Domino autem factori omnium simpliciter nihil relinqueretur pietatis. Omnia in extremis aguntur, quia traditus voluntati eorum. Sic igitur fons vite aruit, qui clamat: Si quis sitit, veniat ad me, & cæ. Sic qui terram rore & pluuia inebriat, & vniuersa potat, sitit, & aquæ gutta ei negatur, imo in augmentum pœnæ acerum offertur. Sic Christus in omnibus sensibus passus est, vt homo totus redimeretur, Illud mirandum in illis Dominicae mortis ministris, imo in illo, quo cuncta hæc disposita fuerant consilio diuinitatis, quod tam ordinate tanq; integrè cuncta egerunt, ac si se cunctas in illo iurauissent implere voces prophetarum. Præordinato quidem Dei consilio hæc fecerunt, interim tamen satis aperuerunt quanto felle amaritudinis ipsorum præcordia redundarent, & quod verè non iam vinea Domini sabaoth illa domus Israël, & illa domus Iuda germen eius delectabile esset, sed de vinea Sodomorum vinea eorum, & vna eorum vna fellis: & quam veraciter Dominus per Hieremiam dixisset, quod vinea illa sua electa, conuersa esset in amaritudinem: quam denique veraciter prædixisset, quod expectante se vt faceret uas, fecerunt labruscas. Discisc autem ex hoc loco quomodo mundus tractet pios in extrema necessitate. Clamat vsq; hodie Christus in pauperibus, & mundi auxilio destitutis, *Sitio*, Sed mundus acetum largitur, afflictum contemnit, ridet, conuitiatur. *Alij autem dicebant, Sine, videamus si veniat Helias ad deponendum eum.* Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit. *Consummatum est* quasi dicat: Impiè venator animarum frustra hic insidias tendis, nihil nisi cõfusionem & ignominiam reportabis: intendisti arcum, parasti laqueos, posuisti decipulas, proiecisti retia, seminasti inuidiæ zizaniam, plantasti ingratiudinis spinam, concitasti omnem malitiam: in instinctu tuo Deum prodidit discipulus, despexerunt amici, crucifixerunt milites. Et iam vacuata est pharetra tua,

Deu. 32.

Hier. 2.

Esaï. 5.

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

obturentur pedicæ, soluentur casses: aperuisti lacû que effodisti, sed incidēs in eû. Nûc diuiniētûr virtus tua, regnû tuû vastabitur, nequitia consummabitur. Consummasti malitiam, sed sapientia mea vincit tuâ malitiâ. Ecce iam certamen obedientiæ peractû est, ad summam cursus peruentû est, nûc demû gloriæ & honoris corona superest. *Consummatum est*, quicquid pater statuit, quicquid lex & prophetæ prædixerunt, quicquid humanæ salutis necessariû aut conducibile fuêrat, sacrificia operata, figuræ impletæ, vmbre sublata sunt. Nichil prætermisum est, nihil non strenuè peractum, nihil me præpedire potuit, aut retrahere, quo minus consummaretur iustitia, consummaretur charitas & humana salus, quam tu semper inuides. Videbis breui consummatam gloriam, qui modo despicias consummatam infirmitatem parata iam sunt omnia. Finem habet peccatum, reconciliatus est pater. Nunc orietur iustitia parata est victoria super peccatum, mortem, crucem, & infernum; paratum est cælum, parata sunt cælestia bona. Nunc iudicium est mundi, nunc tu mundi princeps eijcieris foras. Nunc ego eleuatus omnia ad me traham. Potenter hætenus in mundo regnasti impiè, atrium tuum egregiè defensasisti, nec erât qui tibi resisteret: insuper tu ferra contra eum à quo traheris eleuatus es: securis tu contra secantem in te gloriatus es: virga tu contra eleuantem te superbiuisti: deinceps non viqueadè formidabilis eris, neq; potestatis maximæ super terram. Non timebit te ò Assur, populus habitator Sion: leuabû pueri virgas, percutient & flagellabunt te: consummatio enim abbreviata inuadit iustitiam. Consummationem & abbreviationem feci in medio terræ. nam quicumq; in me crediderit, nihil tua tentamenta pertimescet, pugnas tuas nõ deprecabitur, vt de te potenter triumphet, quem tu fraudulenter seduxisti: coronas tuas honorificè accipiat, quas turpiter amisti. In damnum igitur maximum, tentator maleuole, calcaneo meo insidiaris, vltima nempe pars corporis mei, humilis quispiam & pauperculus spiritu, qui calcaneus meus est, totum te obteret & conculcabit. Finem habet regnum tuum, incipiet nunc regnum Dei

CAP. 17. COMMENTA. IN MATTH.

dēt, quo nihil tibi gratius, nihil dulcius nihil prōptius
quàm paterno osculo & summa clementia redeuntes
excipere creaturas. Foveas diligisq; tua, nihilque odisti
eorum quæ fecisti. Tu filiorū tuus optatissimus, tu nau-
iū tutissima ratio, susceptor, portus, pax & securitas
animarum. Vnde non mediocris mihi filio tuo spes re-
licta est, quum iam immēsum tribulationū pelagus, va-
lidissimis patientiæ remis, teque vires subministrante
emensus sim, totque casus & pericula ope tua vicerim,
non infidelitatum scopuli, non ingritudinis nudæ ha-
renæ, nō Sirenū cantus labores dissuadantium me de-
tinuerunt per alta, per vadosa, per procellas & vortices,
non remorato cursu sequi viam. Iam ad te redeo,
marginem quasi manibus comprehendens, nauim cor-
ronis redimitā in terram viuentiū subduco, pro secun-
da igitur benignitatis aura maximas tibi gratias persol-
uo, & meipsum inacceptabilē victimā hac in ara offero
atq; immolo. Et quia difficilimo appulsu portū appreh-
endo, mira nempe dulcedine spiritus carni (quam mi-
hi sociam dedisti) immersus est, naturali reuisu diuelli
perhorrescit. Exitum itaq; vitæ meę commendatū tibi
facio, vt qui tot tātaq; mihi semper cōtulisti, meq; sem-
per exaudisti, hac hora nō desis. In manus enim maiesta-
tis tuæ rerum omnium opifices & conseruatrices com-
mendo spiritum meū, quum tu singulariter in spe con-
stituisti me. In pace in teipso dormiam & requiescam.
Non derelinquas animam meam in inferno, nec patri-
ris sanctum tuum videre corruptionem. Refloreat ca-
ro mea, & quę concidisti saccum, circumdetur lætitia.
Respice humilitatem meā, salua de necessitatibus ani-
mam meā, nec concludas me in manibus inimici, statua
in loco spaciofo pedes meos. Deus meus es tu, in te
speraui, in manibus tuis sortes meæ. Habe ergo me tuū
commēdatissimum commendatum. Sed & mercē meā
tot laboribus partam, tanto sanguinis profluuio redem-
ptam, animas scilicet ab æterna internecone seruatas
(quæ vnus mecum sunt spiritus) commendo in manus
tuas, hæctenus gladiū vibrantes vindictāq; expetentes,
iā aut conciliatas & in defensātrices commutatas, Acci-
pe eas in manus tuas, quas ego in manibus meis descri-
psi.

pli. Hęc meę manubię sunt, spoliaq; ex hostis nostri fau-
 ribus erepta. Hęc mea venatio, accipe & comede, vt be-
 mediat mihi anima tua. Hęc mea erratica ouis, quam
 humeris meis reportauit. Hic denarius decimus, quę in-
 ueni, gaude & gratulare mecum. Has ego in manus tuas
 cōmendo, pro quibus trado spiritū meum. Ex manibus
 tuis nunquā excidant. In manu tua iustorū animę sint,
 non tangat illas tormentum malitię. Absterge ab oculis
 eorū omnem lachrymā, transeant priora, nec iam sit lu-
 ctus, nec clamor, nec vllus dolor, non vrgeat deinceps
 super eos puteus os suū. Pater vnice qui aperis manus
 tuas, & imple omne animal benedictione, ne retrahas
 eas a me filio tuo, cōplicitibusq; meis, qui & ipsi inter fi-
 lios tuos cōputati sunt: sed suscipe, serua, foue, inq; gau-
 dia tua sursum trahe, benedic, corona, exalta. Eam sanē
 ob rē in voluntate tua confitens ego tibi strenuē vitam
 meā pono & offero, & o pater in manus tuas cōmendo
 spiritū meū. Doceremur hic quō dirigamus oculos in-
 stante mortis hora, nē pe ad Deū. Docemur & hoc ver-
 bo perseuerare vsq; in finē. Solus enim finis opera prob-
 abit. Sola perseuerantia in manus Dei spiritū tradit, so-
 la legitimē certat, sola coronatur, sola brabeū in stadio,
 portū in mari apprehendit. Quę enim laus, quę virtus
 non nisi incipere? Quis arborem tolerat, quę non nisi
 germinet aut floreat, nullosq; maturos proferat fructū?
 Quid ignauius domi se armare, & quū in pugnam pro-
 ceditur, arma abijcere? Quid stultius & magis ridiculū,
 magnis sumptibus fundamentum domus parare, parie-
 tes erigere & tectum non adijcere? Quid profuit diu na-
 uigasse, & in portu se submergere? Quid profuit oleum
 emisse, & sponso veniente in terram profundere? Quid
 profuit ad tempus feruentiorem fuisse, vsque ad cęlos
 ascendisse, inter sydera nidam suam posuisse, ambulasse
 inter filios Dei in medio lapidum ignitorum: & quāda
 malo granata, vix, ficus adferendę essent, pepones &
 Aegyptia cepe famescere: desolatiorem esse vili plebo-
 cula, pigriorem terra, descendere vsque ad abyssos &
 in malis obstupescere, & ex angelo inuene in decrepi-
 tam senescere diabolum: quumque in manus, qua fe-
 cerunt illum reddendus esset spiritus, fugeret quasi

CAP. 27. COMMENTA. IN MATTH.

à facie inimici persequentis? O stultas negotiationes, ô decaudata sacrificia, ô pudendas vestes. Induimini talare, victimas offerte integras, negotiamini vsquedù venit, mementote Christum (qui vsq; in finè nos dilexit) neminem saluaturum, nisi qui in finem strenuè perseuerauerit. *Et cum hoc dixisset, inclinato capite, tradidit spiritum.* Sic igitur Abel à fratre occiditur. Sic Isaac immolatur. Sic Ioseph ab adultera pallio carnis spoliatus ad paternum refugium nudus aufugit. Sic summus sacerdos noster sacrificium vespertinum consummauit. Sic vita mundi mortua est, origo veri luminis extincta, sifons omnis vitæ, in quo omnia viuunt, deficit, vt morti obnoxios liberaret. Sic cœleste illud connubium sanctissimæ animæ carnisque mundissimæ per gladium mortis dissolutum est, vt nos damnati reuocaremur ad indissolubilem vnionem beatitudinis suæ. Sic organum diuinitatis, cithara veri Dauid dulcissima vox Iesu conticuit, diræ mortis silentio. Sic cœlestia illa lumina oculorum gratiosissimorum obscurantur in morte. Sic pectus sacratissimum sapientiæ æternæ & thesaurorum gratiæ contentium priuatur vita. Sic tanto precio, quo inter creaturas nihil maius, peccata nostra redemit. Sic patri tali obedientia vsque ad mortem pro nostra inobedientia satisfecit. O quantus dolor, vbi illa sanctissima anima corpori sanctissimo indissolubilis, vinculo dilectionis vnita, ab eo debebat violenta morte separari, & illa vita sanctissima mori. Nunquam mors vlla fuit acerbior, quia à nullo propter corruptionem potentiarum, sicut à Christo, percepta. Væ tibi impia synagoga, quæ omni fera crudelior vitam deuorasti Iesu, qui tibi pater & sponfus, à paterna charitate missus fuit. O quàm dura erit accusatio tui, laceratio corporis Christi. Sed & væ tibi cor ingratum, omni lapide durius, quod ad tanti piaculi recordationem non scinderis: quàm districtè exquiretur sanguis ille innocens à te? Agamus igitur gratias ei, qui per immensam charitatem suam, nos tam laboriose redimere voluit, &cet. Circa hanc igitur Christi expiationem primò vides verum esse quod in Ioanne prædixit: Potestatem habeo ponendi animam

meam

meam &c. Secundò, hic vides dei opera esse contra rationem. Quis enim audiens Christum esse Dei filium, videns tanta miracula, & prophetam eximium agnosces credere vnquam posset, Deum vsque adeò impijs cõnuere, vt tantum virum trucident? Rursus, quis videns hunc tam turpiter mori, & animam exhalare, crederet tunc veram vitam initium suum habuisse? Sed hæc est antiqua Dei operum consuetudo, vt sub alieno & aduerso opere promoueant. Volebat enim Deus ingentes ramos ex hac Christi arbore producere, volebat Ecclesiã edificare & viuificare: accepit igitur alienum à vita opus, quod est mors Christi, & ex ipsa Ecclesiã viuificauit. Huc pertinet illud: Nisi granum frumenti mortuum fuerit, & cæt. Non apparuit quidem tunc Christo adhuc in ligno pendente Ecclesiã edificium. nihil enim hic vides nisi mortem & sepulturam: quemadmodum nec initio sementis apparet fructus futurus. Sed vt a statis tempore fructus sementis erumpit: ita post resurrectionem ex arido Christo erupit viuã Ecclesiã. Tertiò circa expirationem Christi, cogita quã supplicia nos mansura sint, cum Deus pater infontem hominem Christum, propter peccata aliena tam inelẽmer tractari permiserit. Proinde & ipse Christus dicit: Filie Hierusalẽ nolite flere super me, sed super vosip- Luc. 23.
sas, &cæt. quasi dicat: Ex meo supplicio discite quid vos propter peccata vestra commerita sitis. Si hoc in me fonte fit, quid vobis fontibus fiet? *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque ad inum.* Hactenus vidisti infirma Christi & miseras, nunc eius maiestatem attende, & considera quis, qualis & quantus sit, qui pendet in ligno. *Velum, inquit, templi, scissum est.* in signum quòd per mortem Christi reuelata sunt sancta sanctorum, quòd per Christum aditus nobis patet ad Deum, quòd via ad templum Dei patefacta est, quòd gladius flammeus à paradiso remotus est, quòd diruta sunt, quã nos à Deo separabant, quòd patefacta sunt, quã clausa & occulta erant, nempe gentes esse cohæredes, &c. quòd denique omnis vmbra & figura cessarunt, ipsaque veritas iam fulgeat. *Et terra mota est,* horrens super se tale flagitium fieri. Hic præ-

ostensa est motio totius terræ per prædicationem Euan-
 gelij, & quòd dura corda gentium viuificentur susce-
 pto verbo Euangelij. *Et petra scissa sunt.* arguentes ob-
 stinationem & duritiam malignorū cordium. *Et monu-
 menta aperta sunt.* ad significandum q̄ per solam Chri-
 sti mortem spes resurrectionis nobis data est. *Et multa
 corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi
 monumentis post resurrectionē eius, venerunt in sanctam cini-
 tatem. & apparuerunt multis.* Post resurrectionē, inquit,
 vt Christus esset primogenitus in multis fratribus: & li-
 cet prius multi resurrexerint, resurrexerūt tm̄ ad vitam
 animalē, quā rursus deponerent. Resurrectio ista est re-
 nouatio, quæ corpus corruptibile reddit incorruptibile,
 corpus mortale, reddit immortale. Huius resurrectionis
 Christus est primogenitus. Circa hūc locū primò obser-
 ua, q̄ Christo morietī omnis creatura compatitur: sola
 Iudæorū dura pectora manent, quos imitantur peccato-
 res, qui tot signis auditis, cū per peccata sua Deū cru-
 cifixerunt, nondum timent, non scinduntur, nec resur-
 gunt, nec cōfitentur. Præterea obserua, quòd septem si-
 gna in morte Christi facta sunt. Sol in medio die obscu-
 ratus, velum scissum, terra mota, petra scissa, sepulchra
 aperta, mortui surgentes, gentiles confitentur. Hæc autē
 signa si attendas, in quolibet iustificando concurrunt.
 Primò enim oportet vt ei mundana dispereant, displic-
 ceant, ex oculis remoueātur. Hoc est tenebras fieri, quā-
 do iam mundanæ res nec colorem neq; lucem habeant
 in oculis eius. Secundò, interna reuelari oportet, id est,
 peccata videre, propriam agnoscere scditatem: hoc est
 velum scindi, sub quo talia abscondebantur peccata, vt
 non apparerent turpia. Tertiò, tunc timendum ac stu-
 pendum est à facie turpitudinis peccatorum & confici-
 entia: hoc est terram moueri, quia nemo timet, nec mo-
 uetur in cōscientia, nisi peccatum videat. Quartò, se-
 quitur scissio petrarum, contritio scilicet, odium, displic-
 entia peccati: & qui prius petra fuit, iam scinditur, dis-
 rumpitur, & sic petra dat aquas, fletus. Quintò, sepul-
 chra ad confessionē peccatorū os suū aperiunt, & red-
 dunt manifestū quod occultū fuit. Sextò, oportet exire
 randē per absolutionē, & venire in ciuitatē Hierusalem,

etq; rursus vita spiritali cōsiliari, hoc est. corpora san-
ctorū resurgere. Septimò, ore & opere testari, quia hic
est filius Dei & homo iust⁹. quia qui me cōfessus fuerit
cōfitebor & ego eū, &c. *Cetero autē qui ex aduerso stabat,*
& qui cū eo erat, vidētes quòd sic clamore emisso, expirasset,
visq; terremotu & his quæ facta fuerāt, timuerūt valde &
glorificauerūt Deū, dicētes: Vere hic homo iustus erat & filius
Dei. Ex miraculis agnoscūt christū. Beati igitur q̄ scruta-
tatur mirabilia eius. Hic autē impletū est q̄ prædixerat
Christus: Cū exaltaueritis filiū hoīs, tū cognoscetis q̄
ego sim. Et oēs turbe corū qui simul acceperant ad spectaculū
istud, (Sic. n. Christus spectaculū est mūdo, quæadmodū
& oēs pij.) & viderūt quæ cōtingebant, peruenientes pecto-
ra sua, reuertebātur. Hic vides quod pro veritate moriēs,
maiora facit moriēs, quā dū viueret. Sic Christus plu-
res in morte cōuertit. semper. n. clamat, sanguis effusus,
quo fit vt electi, qui per ignorantia pios discerniāt, mise-
ricordiā cōsequātur. re. phi dāntur. Obserua autē q̄ gē-
tes glorificāt Deū, Iudai cū autē vulgus in obstinata mali-
tia perdurat. Stabat autē oēs noti eius à lōge. Sic. n. predictū
erat: Elongasti à me amicū & proximū. Item, Fratres
meos longe fecit à me, & noti mei quasi alieni recesser-
runt à me. Erant mulieres quæ sequute eum fuerant à Gali-
lea, & ministrauerāt ei, hæc videntes, inter quas erat Maria
Magdalene et Maria Iacobi parui, et Ioseph mater, et Salome, ma-
ter filiorū Zebedæi al. eq; complures quæ simul ascenderant cū
eo à Galilea Hierosolymā. Iudæi ergo quoniā pasceue erat.
Pasceue erat, hoc est, præparatio ad sabbatum, non ad
pascha quod iam erat, idem igitur dies erat, Pascha &
Pasceue sabbati. Vt non remanerent in cruce corpora sab-
bato. Præceptum erat legis, Quando peccauerit ho-
mo, quod morte plectendum est, & adiudicatus fuerit
morti, suspensusq; in patibulo, non permanebit cada-
uer eius in ligno, sed eadem die sepelietur, quia maledic-
tus à Deo qui pendet in ligno. Obserua hic mirabile
& antiquum crucifixi huius consiliū, qui tantum an-
tequā veniret ita de sepeliendo corpore suo dedit præ-
ceptum, vt profuerit omnibus crucifixis, scriptum pro-
fe vno legis mandatum. Cū enim decollatos siue
lapidatos, aut alia vi peremptos, licuerit impunē inse-
pultos

Psal. 118.

1. Cor. 4.

pultos canibus proijci, solis crucifixis propter istum vnum crucifigendum, lex digito Dei scripta sepulturam negare prohibuit: imò præcepit vt eadem die sepelirentur. vt demum crucifixi oēs ex lege sepeliuntur, sepultura non careat hic vnus pro salute mundi crucifixus. Sed cur, inquis, legislator pro sepultura Christi topere fuit sollicitus: cum posset etiã in sepulchro cælitus custodiri corpus sacrosanctū? Respondeo, quia expediebat hoc corporibus, vt coniungeretur eis in sepulchris corpus huius mortui, quod afferebat resurrectionem mortuorum. Sicut enim animã Christi ad inferos descendere expediebat, ad liberandas animas patrum, sic & ad corpora eorum corpus eius peruenire oportebat, vt illa resuscitaret, sicq; perfecta resurrectio sperari posset. *Erat enim magnus dies illa sabbati.* Cum octo diebus phase celebraretur, omnium dierum maximus & maximè festiuus sabbati dies habebatur, siue ille primus, siue secundus, aut certè tertius occurrisset, vel quartus, & sabbatum Paschale vocabatur. *Rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Legem illam quæ tantum non ciuilitatis & humanitatis erat, summo studio obseruât, interim totam alioqui legem præuaricantes. Quis enim, hos non sanctos prædicasset? Quis potuisset ex tanta illius legis obseruantia suspicari ipsos Christum contra legem occidisse? Sed hæc est hypocritarum natura, sic palliare suas impietates. *Venerunt ergo milites, & primi quidem frangerunt crura & alterius, qui crucifixus est cum eo: ad Iesum autem cum venissent, & vidissent eum iam mortuum, non frangerunt eius crura.* Nec enim opus erat, vt super dolorem vulnerum eius quicquam apponerent, in quo iam sensuum nihil restabat. Sicut autem Christus, quãuis mortuus sit, ossa tamen eius non confringuntur: sic præfigurantur quidem, sed non perduntur: & quem admodum omnes capilli eorum numerati sunt, sic & omnia ossa eorum, vt nihil illis accidere possit citra bonam Dei voluntatem. Ideo autem Christus crura sibi frangi noluit, quia ossa quæ in scripturis mystice virtutes significant, nihil nobis mysterij prædicaret in eo, quod frangeretur: sed econtrã in eo quod crura eius integra

Questio.

Christi
crura cur
non sint
fracta.
Matt. 10.
Psal. 33.

conseruata sunt, illud nobis significatur, quòd vniuersa
 via eius (quæ per crura designantur in canticis) re-
 cta & inuolabiles sunt. *Sed vnus militum lancea latus
 eius aperuit. Et continuo exiuit sanguis & aqua.* Effluxus
 hic miraculo quodâ contigit, magnumq; mysteriû præ-
 se fert. Sanguine redimimur, aqua abluimur. Nô solus
 sanguis, nec sola aqua exiuit: nihil enim posset aqua
 sine sanguine, nec quicquam prodesset redemptos ef-
 se, si permaneremus quales prius eramus, & non etiam
 ablueremur. Vt ergo esset vnde à peccatis lauaremur,
 aqua quæ corporales tantùm lauare poterat sordes, san-
 guini qui est præcium nostræ redemptionis sociata est,
 & ex eius societate virtutem atque autoritatem sum-
 ptit, vt ad abluendas inuisibiles sordes peccatorum di-
 gna sit sancto cooperari spiritu. hoc est quod Prophe-
 ta prædixit: Erit fons patens Domui Dauid, &c. in ab-
 lutionem peccatoris & menstruatæ: peccatoris, genti-
 lis scilicet populi, qui sine lege peccarunt: mēstruatæ,
 Iudaicæ gentis, quæ in lege peccauit. Congruè autem
 de latere mortui Christi subductum est, vnde Ecclesia
 nasceretur. Sic enim & dormienti Adæ costa educta
 est, vnde formaretur Eua. Deinde quod sanguis & a-
 qua fluxerunt è latere Christi, significat in Christo ef-
 se & è Christo nobis fluere vitam & consolationem.
 Sanguini enim inest vita, & aqua interdum consola-
 tionem significat. Confirmamur igitur hic non solum
 dum viuimus, sed & dum morimur, vt credamus &
 in morte vitam esse, & vitam nostram in Deo ab-
 sconditam esse. *Et qui vidit, testimonium perhibuit,
 & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit,
 vt & vos credatis.* Ne quis tanquam de re insolita &
 prius inaudita dubitaret, Iohannes dicit, se oculatum
 testem esse. *Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur.*
 Alios duos testes adiungit, legem scilicet & prophe-
 tas, vt in ore duorum vel trium testium stet omne ver-
 bum. *Os non comminuetis ex eo.* Ex hoc loco apparet Io-
 hannem non tam voluisse historiam recensere, quàm
 monere quid significaret hæc historia, quòd scilicet
 hic Christus verum Pascha fuit, quod in lege signi-
 ficarum est. Nam hic locus de non conterendis oſi-
 bus

Cant. 5.

Zach. 13.

Gen. 2.

Exod. 12 bus exceptus est ex Exodo, de agno Paschali. Iam verò & hæc sententia & sanctos confirmat non posse ossa Paschatis conteri: id est, potestas tenebrarum seuire in Christum potest, eatenus, vt vitam & gloriam coram mundo eripiat: porro ossa, id est, vitam & gloriam coram Deo eripere non potest. Idem sit in omnibus sanctis. sciant quantumlibet impij, tamen ossa non conterent, id est, nulla vis tanta erit, quam non fides superet: quia virtus Dei est in salutem omni credenti. *Et rursus alia scriptura dicit: Videbunt in quem pupugerunt.*

Zach. 12. Locus est citatus è Zacharia, & conuenit cum eo, **Mea Deut. 32** est vindicta, &c. Quibus locis cum vltio diuina longum differatur, significat spiritus impios in hoc mudo prauales ac superiores esse, sed ita vt suo se gladio iugulent. Quò magis enim in suis conatibus prosperantur, eò iustiorum suam causam arbitrantur: excecati igitur in grauisimum Dei iudicium ruunt. Quemadmodum enim in somno accidere solet, vbi quis somniat pugno se hostem suum petere, excitatus autem sentit quod se suis ipsius pugnis percusserit. Ita qui pio iniurias infert videtur esse superior, vel propter pij imbecillitatem, vel propterea, quòd vltio in futurum differatur. Si verò rem probè consideres, suo se gladio ferit. Pharao Israëlitas oppressit, at si veriùs loquaris, eo factò se ipsum oppressit. Saul Dauida persecutus est, at veriùs dixeris, se ipsum eo factò persecutus est. Iudæi Christum transfixerunt, veraciùs tamen sua ipsorum latera transfixerunt. iuxta illud: Qui in altum mittit lapidè, recidet super caput eius. *Possit hæc autè dari vespera esset,*

Eccl. 47. *quonià erat pasce, que præcedebat sabbatù, venit Ioseph oriundus ab Arimathea ciuitate Iudeorum. vir dives, seruator bonus & iustus.* Vnum deerat huic Iosepho, quòd iam per Deum accipit, nempe vt forti animo Christum confiteatur: *qui non consenserat consilio & actis eorù.* Si enim impiorum factum aut consilium impedire non potueris, honesta ratione noli cõsentire: dissensionem autem tuam non silentio cales, sed pio aliquo factò testis. Nam hoc vides Nicodemum & Iosephum fecisse. Quum enim alter esset inter phariseos princeps, alter inter Senatores potens, potuissent facili opera lo-

ditio-

ditione aduersus condemnatores Christi in vulgo con-
citare. Sed non sunt facienda mala vt eueniant bona.
Proinde hoc quod licet, agunt: hoc est, non consen-
tunt sua voce in sententiam iniquam: & postea dissen-
sionem suæ sententiæ manifesto facto testantur, dum
sepeliunt corpus Iesu. *Erat enim & ipse expectans regnum
Dei. Nam & discipulus erat Iesu, oculus autē propter meritū
Iudeorum. Hic sumpta audacia ingressus est ad Pilatum, &
petiit ab eo vt tolleret corpus Iesu. Pilatus autem admiratus
est, si iam mortuus esset. Et accersito ad se Centurione interro-
gavit illū, an iam mortuus esset. Et recognita ex Centurione,
donauit corpus Iesu ipsi Ioseph. Et Ioseph mercatus est sindo-
nem. Venit autem & Nicodemus, qui venerat primum ad Ie-
sum nocte, ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras
centum.* Circa hos duos obserua, quod nunquam tem-
pus tam malum est quin Dominus suos seruet & libe-
ret. Helix tempore, cum omnia impleta essent idolis &
falsis cultibus, reseruauit tamen sibi Deus septem milia
virorum, qui non curauerant genua ante Baal. Ira &
mortis Christi tempore, omnia plena erant scandalo,
impietate & diffidentia in Christum: quidam scandali-
zati de Christo tam turpiter mortuo, nihil boni suspi-
cati potuerunt. Duo igitur illi, Ioseph & Nicode-
mus produnt se hoc loco, qui nihil moti aliorū vel im-
pietate vel diffidentia, in fide perstiterunt. Admiranda
certè horum fides fuit, id quod ex antithesi manifestū
fuit. Ambo erant diuites, ambo potentes, ambo iustissi-
mi corā mundo habiti: hic senator ille pharisæus. Om-
nia tamen hæc, diuitiæ, potentia, bona existimatio & di-
gnitates ab illis negliguntur, & vt Christo etiam mor-
tuo inferuiat, periculo exponuntur. Quis eos huc coë-
git? Num amicitia in Iesum: at ciuilis amicitia vsq; ad
aras solum perdurat. Sola igitur fide huc perducti sunt,
quæ tantæ est potentia, vt credentem abstrahat ab om-
nibus sensibilibus, & imponat in insensibilia. Sensibiles
res erant, diuitiæ, potentia, & senatoria dignitas: sed fi-
des hos ambos ab his rebus auulsos, in æternam poten-
tiam & diuitias collocauit. Eandem fidei energiam vi-
des in Abrahamo, qui patriam, opes paternas & ami-
cos reliquit, ac incerta, hoc est, inuisibilia secutus est,

Acces-

Rom. 2.]

*Acceperunt ergo corpus Iesu, & depositum inuoluerunt illud in sindone munda, obuinxerunt que linteis cum aromatibus, sicut Iudæis mos est sepelire. Christi sepultura gloriosa est, ut prædixit Propheta. Aliorū hominum gloria finitur in sepultura: Christi autem gloria à sepulchro incipit, & in perpetuum durat. Item contingit & pijs. Nemo igitur gloriam in hac vita querat, quæ non nisi ad sepulchrum vsque perdurat. Obserua autem hic quòd Christi sepultura nedum gloriosa est, sed & sumptuosa. Quid igitur, nunquid melius ambo fecissent, si vendidissent vnguentum, & pauperibus erogassent? quid enim proderit Christo mortuo, etiamsi aromatibus condiatur? Pauperes semper habemus, pauperibus semper beneficiendum est. Sed non ideo hunc sumptum vanum esse dixeris: est enim signaculum bonorum fidei, adeoque hoc facto declarant, se omnes suas fortunas in discrimen propter Christum posuisse: nam oportebat ipsos futuram Pharisæorum excommunicationem & bonorum direptionem propter hoc factum expectare. Maximum igitur opus est, nec vllis hypocritarum operibus comparandum: propterea quod hypocritæ sumptum quidem faciunt, non tamen ex fide & abnegatione bonorum, sed ex impietate, & bonorum ambitione. Cæterum nullum opus est sumptu aut specie estimandum est, sed è fide. Sic in Euangelio, vidua duo minuta offerēs plus omnibus alijs dedisse dicitur, quia ex fide & indigentia fecit. Sic & hoc opus non maximum est sumptu, sed fide, quia omnia alia sua bona propter Christum abnegarunt. Porro condimentis manifestum sit quid in Christo quæserint. Condimenta à putrefactione præseruant corpus. Quærūt ergo vitam in Christo. sed quomodo? sub morte, sub corpore arido, atq; demum vera fides est. Nam facilè est vitam in viuente Christo quærere, sed in mortuo, arido & contempto quicquam sperare, hoc opus, hic labor. *Erat autem in eo loco, in quo crucifixus est, hortus.* Pulchrè omnia conueniunt. Adam in horto peccat, Christus è peccato liberaturus in horto vincitur, & in horto sepelitur. *Et in horto monumentū nouum: in quo nondum quisquā positus fuerat.* Diuina ordinatione illud factū est, ne quis alium resur-*

Luc. 21.

resurrexisse arbitraretur. Ibi ergo quoniã parasceue erat *Iudeorum*, & sabbatum illucescebat, quod in propinquo esset monumentũ, posuerunt *Iesum*. Sicut igitur passio Christi nostra est, ita & sepultura eius nostra est, teste Paulo, Rom. 5. Sepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, &c. Et aduoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abierunt. Sic igitur sabbatum agit Christus, ac præbet se formadum Deo. Proinde pater fecit sepulchrum eius per resurrectionem gloriosissimum. Ita & in nobis tunc maximè, cum nos maximè ab operibus nostris, ab Adam congeneritis, cessauerimus, & sabbatum egerimus. Erant autem ibi *Maria Magdalene* & *Maria Iosue*, sedentes contra sepulchrum, spectantes ubi poneretur. Et reuersa parauerunt aromata & unguenta, & sabbato quidem quieuerunt secundum præceptum. Postero autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisei ad Pilatum. Exemplum humanæ prudentiæ hic habes, quæ contra Deũ nihil valet. Mentitur enim iniquitas sibi. Domine recordari sumus, quod impostor ille dixit adhuc uiuens, Post tres dies resurgam. Iam intelligunt signum Ionæ, & solutionem templi à Christo prædictam. Iube ergo muniri sepulchrum usque in diem tertium, ne quando veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore. Ignorantes verum dicunt, sicut Caiphas: peius enim postea errauerunt non respicientes: maior etiam postea facta est fides credentium, de veritate resurgentis. At illis Pilatus: Habetis custodiã, ite, munit e sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum ob signato lapide adhibitisque custodijs. Curam quam adhibent sepulchro, contra seipsum adhibent: omnia enim hæc probant veritatem resurrectionis. Hic igitur iterum diligenter memineris magisterij diuini, quod prudentissimè per alienũ opus suum complet Caiphæ opus est, vt Christus occidatur & pereat: Dei opus est, vt Christus sit vita mundi. Arripit igitur Deus impium Caiphæ opus, & per illud suum proprium perficit. Ita & Iudeorum prudentia erat, vt sepulchrum custodiretur, ne quis surriperet corpus Christi, & diceret plebi illum surrexisse. Dei autem prudentia erat, vt resurrectio Christi omnibus

M m m manife-

CAP. 28. COMMENTA. IN MATTH.

manifestissima fieret. Arripit ergo Deus aliena prudentiæ opus & suum perficit. Hac enim custodia multo manifestior facta est resurrectio, quam si non custodissent Iudæi sepulchrum:

EPILOGVS PASSIONIS.

Hactenus de supplicio Christi satis dictum, nostrum est hæc diligētius p̄s̄titare & gratias agere. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ: etiamsi si antè crucifixoꝝ Christi fuerimus, iam cum Centurione vera fide Christum Dei filium testemur. Redeamus in domos cordium nostrorum, & in cubilibus nostris cōpungamur, mandataq; vltima Christi, quæ nobis moriens reliquit, in mausoleo p̄ctoꝝ nostri nouo, in quo nullū peccati iaceat cadauer, colloquemus. Inuoluamus Christum in mundarum cogitationum linteis, procul arceamus omnem corruptionem vel mundi vel peruer forum dogmatum, vt cūm Christus redierit, nos que die tertio resurrexerimus: hoc est, post diē vitæ huius, & alterum quietis ad thesauros gratiæ, quos hic recipimus, etiam beatitudinem animæ & thesauros corporis gloriæ suæ conferat, vt similes ei, & corpori claritatis suæ configurati, in æterni regni hæreditate filij Dei beatissimè ingrediamur, Amen.

Finit historia supplicij Christi
Domini nostri.

SEQVITVR EXPOSITIO
HISTORIÆ RESVRRECTIONIS
Iesu Christi ex capite Matthæi
vigesimo octauo.

Cap. 28. **E**Xperientia habemus quòd ei, qui adhuc discipulus est, etiamsi nondum omnia intelligit quæ à præceptore audit, nec tam perfecte operari scit vt magister, nemo vitio dat, nec miratur quisquam: hoc enim ipsum excusat, quòd discipulus adhuc est. Qui autem diu multa que audiuit à præceptore, non tamen scit, id quod primum & præcipuum